REFVTATIO APPENDICIS,

Quam

MARTINVS SMIGLECIVS JESVITA, Doctor Theologus, libro, cui titulum dedit, Nova monstra novi Arianismi, *apposuit, & Hieronymo Moscorovio opposuit,*

Scripta ab eodem.
HIERONYMO à Moskorzow Moscorovio.

Scriptum [illegible] grav[illegible] [illegible]us est, quam suave. Siquidem dictio aspera est aliquantulum & salebrosa, & à dictione Socini mirum quantum diversa, sive delectum verborum species, sive compositionem. Neque res ipsæ ad veritatis regulam satis sunt exactæ, quod vel sola p. 19. testatur, ubi Ignatius Patrum apud Latinos, quorum scripta supersunt, dicitur antiquissimus [illegible] [illegible] p. 649

RACOVIÆ,
Typis Sebastiani Sternacii,
1 6 1 3.

Illuſtriſsimo & Reverendiſſimo Domino, Domino

IOANNI TILICZKI

Epiſcopo Cracovienſi, & Severiæ Duci. S. P. D.

RESPONSIONEM ad Appendicem Smiglecii, libro non ita pridem adverſum noſtros homines publicato annexam, in qua, paucula quædam è ſecunda diſputatione mea, Petro Skargæ Jeſuitæ oppoſita, decerpſerat & exagitanda ſibi propoſuerat, & edendam, & ampliſſimo nomini tuo inſcribendam, Dux Illuſtriſſime putavi. Cauſſas facti, conſiliique noſtri accipe. Smiglecius cum ad impugnanda noſtra acceſſiſſet, argumentis quibuſdam, multas eaſque graves calumnias adjecit; ut contumelias inſignes & acerba convitia, aliaque literato homine indigniſſima præteream; illaque ſub illuſtri nomine tuo publicanda cenſuit. Ad calumnias, conticuiſſe, quid erat aliud, quàm eas agnoviſſe? Nemo id, cui modo honor, & nominis exiſtimatio curæ fuit, fecit unquam. At ea cauſſa reſpondendi longè gravior, quòd iſtæ calumniæ divinā veritatem traducerent; ac propterea illius unius Dei gloriam, & Chriſti ejus Domini noſtri honorem, ac ipſam æternam ſalutem vehementer afficerent. Unde ſi non honoris exiſtimationiſque noſtræ cura, certè divinæ gloriæ & Chriſti honoris, ac ſalutis ſempiternæ ſtudium, ad reſponſionem nos adigere, immò verò ardore quodam incredibili accendere, meritò atque optimo jure debuit. Ecquæ igitur exprimendæ reſponſionis, ad libros Smiglecii, juſtior neceſſitas & cauſſa gravior? At tibi dicandæ hujus reſponſionis, hæc ratio conſtitit. Calumnias iſtas, quarum mentio a me facta, Smiglecius ſub nomine tuo legendas aliis exhibuit. Quamobrem depulſio calumniarum, quas Appendix Smigleciana continet, tibi, & ſub tuo nomine, aliis offerenda videbatur; ut hac ratione, quicquid ſiniſtræ de nobis ſuſpicionis calumniæ in a-

nimo tuo & aliorum impressissent: (Nimium enim verum illud usu comperimus: Calumniare audacter, semper aliquid hæret) illud depulsio calumniarum, si radicitus evellere & exstirpare non posset, saltem induceret, & oblitteraret. Atq; tu idem, Dux Illustrissime, pro summa prudentia, quæ tibi maximo rerum civilium usu parta est; & æquitate ac moderatione animi, quibus a primis annis præstiteras, atq; tibi viam ad ampliorem fortunam munieras, dispiceres; an tractandis Theologicis rebus, is modus, cui vestri Theologi, nostri autem adversarii insistũt, sit aptus & conveniens? Res Theologicæ divinissimæ sunt; quippe quæ, in Dei benignissimi, & Christi ejus Domini & Servatoris nostri, honoris, & æternæ felicitatis nostræ, explicatione versentur; & principiis longè divinissimis, ab ipso Deo & Christo ejus, per Prophetas & Apostolos homines divino spiritu repletos constitutis, nitantur. Divinè igitur tractari volunt. Divinum eas tractandi modum, & exemplum, in vatibus & Apostolis viris divinis, verùm maximè in Apostolis habemus: Dogmata hi proponunt dilucidè, ea potissimum, sine quibus nemini salus potest contingere. Eadem authoritate Dei loquentis, vel Christi Domini nostri; tùm etiam rationibus evidentissimis, firmare iis mos est. Nullas adversus alios calumnias, nullas districtas contumelias, nulla conjecta convitia, nullas intentatas minas, nullum ardore vindictæ accensum animũ, ac ne umbram quidem istorum, apud illos reperias. Quãobrem hæc ratio tractandi res Theologicas, omnibus Theologiæ studiosis inprimis est suspicienda & imitanda. Calumniæ, contumeliæ, convitia, & aliorum ob diversum in religione sensum, insectandi perpetuum studium; quibus libri vestrorum Theologorum contra nos scripti redundant; quid rogo, cum ea ratione habent commune? commune dico? immò quid illi non adversum, & ex diametro repugnans? Certè injuriarum quæcunque species indecora est homini, cui parta sit civiliter honesta nominis existimatio; indignissima Christiano, cujus vitæ duces, pietas & justitia, quæ sacrosancta in Christum fide continentur: Theologo verò qui pietatis, justitiæ, religionis vi-

am aliis commonstrat; turpissima & fœdissima. Quæ fœditas & turpitudo, mirum in modum augetur, si nulla justa caussa ad injuriam inferendam moveare; quanquam nulla prorsus caussa justa appareat, quæ Christianum, vitæ hujus lumen, ab officio, a virtute, a recti tramite abducat, & ad nocendum alteri, quacunque ratione adigat aut impellat. Atque illud expensum velim, quid vestri Theologi caussæ habeant, quæ illos, ut adversum nos, ad eum modum insurgant, solicitet? An fidei nostræ confessioné? Atqui hanc ex Christi Domini, & absolutissimi omnium nostrûm Magistri ore, excepimus. Creditis, inquit Christus Servator, in Deum, & in me credite. (Ioan. 14. v. 1.) Quemadmodum igitur verbis Domini edocti sumus, ita nos in Deum & in Christum credere, profitemur. An quòd Deum illum, qui Christi pater est, omnipotentem cœli & terræ conditoré; & Christum, filium illius unicum, qui è Spiritu S. conceptus & ex Maria virgine natus est, Dominum & Deum nostrum agnoscamus? Atqui hæc è divinis literis, immò etiam è Symbolo, quod Apostolicum vocant, hausimus & didicimus. An quod de Spiritu S. eam sententiam, quòd Dei virtus sit singularis, de qua Deus olim suis impertitus, eandem nunc in filium suum Dominum Jesum sine modo effuderit, & per eundem in omnes sibi obtemperantes effundat, teneamus? Atqui hæc apertissimè, in sacris literis tradita extant divinitùs. An denique quòd fide in Christũ, conservationem præceptorum ejus, sub expetendæ immortalitatis spe, longè omnium beatissima, contineri; & immortalitatem gloriosam a Christo reipsâ iis tantùm, qui ipsi paruerint, datum iri contendamus? Atqui cum sacræ literæ, nunc fidei in Christum; nunc divinæ voluntatis executioni, & præceptorum Christi conservationi, vitam æternam promittant; universa etiam Christi religio, uti è sacris literis videre est, præceptis & promissis, ac earũ caussis & approbatione, tantùm constet; efficitur necessariò, fide in Christum, obedientiam & præceptorum ipsius conservationem contineri; aut illi ita cohærere, ut divelli reipsa nulla ratione possint. Hæc igitur universa, inquam, quæ è divinis literis excepta, ad eas etiam ultrò referũtur;

cum animo complecti, ore profiteri, vita & factis exprimere, nobis unicum studium & perpetuum votum sit; ecquæ caussa, quæ modò ullam vel minimam æquitatis speciem habeat, nos hac ratione insectandi, vestris Theologis superest? Verùm insurgant aduersus nos quantum velint; insectentur, uti libido ferat; nunquam nos tamen a defensione caussæ, quam verissimam & justissimam nos habere existimamus, & cujus veritatem evidentissimis, ut quidem remur, rationibus docemus, dimovebunt, ut illi aut deesse, aut illam ulla ex parte prodere videamur. Calumniis neminem impetimus, neque convitia in quenquam stringimus; nullos ob religionem, immò nullam prorsus ob caussam, insectamur; ac ne scriptis quidem quenquam provocamus. Calumniis appetiti, innocentiam; convitiis lacessiti, solidas rationes; insectatione infestati, mitem Christi spiritum, mansvetudinem & patientiam; scriptis acerbis provocati, modestam ejus, quæ est in nobis spei, juxta præceptum Apostoli, defensionem; odiis & animo implacabili exagitati, charitatem, omni officio, ac etiam precibus ac votis pro ipsis aduersariis, comitatam, opponere studemus & annitimur; ut ad eum modum omnibus manifestum fiat; cum aduersariis, ut veritatis, ita virtutis nobis esse certamen; & in toto hoc negotio, nihil nos aliud, nisi Dei Christique gloriam, & salutem æternam spectare, & propositam habere. Hac via in primis initiis, divinissima Christi religio, caput extulit; huic orbis secundum Christum lumina, Apostoli institêre; hanc etiam Patres, qui ætate luminibus illis proximi fuêre, consectari voluerunt; uti inter alios è Lactantio Firmiano videre est; qui sic scribit: *Omnia non asseveratione propria, nec enim valet quicquam mortalis hominis authoritas, sed divinis testimoniis confirment, quemadmodum nos facimus.* Atque ibidem paulò post: *Defendenda religio est non occidendo, sed moriendo, non sævitia, sed patientia, non scelere, sed fide. Illa enim malorum, & hæc bonorum. Et necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo, religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur, atque violabitur. Nihil tam voluntarium est, quàm religio, in qua si animus sacrificantis aversus est,*

Figura hæretico modo applicata

lib. 5. divinarum instit.

jam subla-

jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientiâ vel morte defendas, in qua fides conservata, & ipsi Deo grata est, & religioni addit auctoritatem. Hæc ille. Atque iidem scriptores eâ fiduciâ, Imperatoribus etiam Ethnicis, qui â Christi sacratissima religione alienissimi fuerunt, Apologias pro religione Christiana offerre non dubitaverunt. Hâc etiam conniti nobis, Dei Christique auxilio fretis, atque in eam spem erectis, pares successus cum exoriente veritatis sole, redeuntem habiturum esse, decretum & deliberatum est. Quapropter eo etiam fine, omnia nostra, examini omnium proponimus; omnium judicia, perturbationibus animi vacua, veritatem ejusque firmamenta, sola æquitatis lance trutinantia, exposcimus; ut sola veritas vincat; pietas & inexplebile recti studium, ubique obtineat, ardentissimis votis expetimus; parati semper admittere veriora & meliora, a quocũque tandem illa nobis è sacris literis ostensa, & rationibus evidentissimis demonstrata fuerint. Etenim veritati semper esse cedendum; & pietatem perpetuò ubique sectandam, cui Dei Christique favor atque æterna salus proposita est, (quibus, non postponere omnia vitæ hujus commoda, eaque ratione illorum, pro fecibus vilissimis non reputare, extrema & deplorata amentia & infelicitas est) è literis divinis, edocti & instituti sumus. Valebis Dux illustrissime, & quantumvis caussæ infestus, in illius tamen lectione, æquitatem summam adhibendam putabis, & officium ex animo exhibentis spectandum existimabis. Dat: è prædio Czarkoviano.

Oblatio correctionis

Illma D. V. observantissimus,

Hieronymus a Moskorzow Moscorovius.

Pio Lectori S.

En tibi candide lector, nostram cum Smiglecio Jesuita velitationem. In qua & consilium Smiglecii, & illius successum spectare licebit. Unum te rogatum velim, ut animo integer nostra legas; sola divinæ veritatis & salutis æternę imagine, longe omnium augustissima, animo tuo proposita. Ita futurum est, ut non sine fructu nostra legas, & optimè perspicias atq; cognoscas, jurené an injuria adversum nos tanta importunitate insurgant adversarii, ut nos blasphemiæ & impietatis reos, omni Dei metu posthabito, palàm proclamare nihil vereantur. Dominus Jesus, Pastor ille ovium magnus, innocentium assertor atq; defensor, Spiritu suo tibi ad omnem divinam veritatem percipiendam, & pietatem solidam, sine qua nemo videbit Dominum, amplectendam, præeat; hæc in te foveat, & ad laudem & gloriam Dei Patris ipsius & suum honorem, maximo tuo ipsius bono perficiat. Amen.

Refutatio Appendicis,

Quam Martinus Smiglecius *Jesuita libro, cui titulum dedit,*

Nova monstra novi Arianismi,

apposuit.

Smiglecius Iesuita, virulento libro aduersus nos edito Appendicem adiecit. In quam membra quædam, eaque paucula, ex uno duntaxat capite secundæ responsionis meæ ad librũ P. Skargæ, quæ exagitaret potiùs quàm refelleret, conjecit. At quo consilio? Si rei satisfaciendum fuit, Petrus Skarga illius collega defendendus, & ipsius placita ab omni mea impressione asserenda, ac omnia mea, vel certè potiora confutanda fuerant. Quod cum non fecerit Smiglecius, expendant alii, reiné & caussæ patrocinium suscipere, an animo suo obsequi voluerit? Vidit Smiglecius, procul dubio vidit, quemadmodum ejusdem classis cæteri; nostram de Deo Patre & Christo Domino nostro, ac Spiritu sancto, de justificatione, atque aliis fidei mysteriis sententiam, suis suorumque placitis vehementer obstare. Quamobrem hanc sibi omni ratione demoliendam existimavit. In sacris literis & inde petitis armis, necessaria nempe consecutione deductis rationibus, parùm sibi ad eam rem præsidii fore animaduertit. Nec injuriâ. Omnia nostra, de singulis religionis Iesu Christi longè omnium augustissimæ partibus, è divinis literis, tanquam è limpidissimis fontibus promanavêre. Periculum facere libet? præjudicatis opinionibus solutus, illa ad divinorum monumentorum amussim, tanquam ad ipsissima divinæ veritatis principia, quàm accuratissimè & severissimè exige; & eam inter nostra & monumenta divina harmoniam, quæ inter principia, & quæ ab iis nullo interjecto medio deducta & derivata sunt, facillimè deprehendes. Ecquæ igitur valida satis, aduersum nos ex sacris literis, possunt depromi tela? Ac neque ipsi aduersarii videntur rem magnopere diffiteri. Etenim cum in certaminibus nobiscum susceptis a sacris literis ad majorum traditiones, immò ad Ecclesiæ suæ sensum, id est ad factionem suam provocant; nonné sua placita seque, non satis sacrarũ literarum præsidio tutos, neque satis firmos esse, ad expugnandas adversariorum copias, apertissimè præ se ferunt? Præ se ferunt dico? immò iidem ore palam, & scriptis fatentur; nullam hæresin è sacris literis confutari posse; quod D. Tannerus Iesuita in disputatione Ratisbonensi, approbante Iesuitarum qui tum aderant choro, publicè professus est; cui etiam Bellarminus Iesuitarum dux & Antesignanus, atque a-

 lii adsti-

lii adſtipulantur, uti alibi docuimus. Quapropter Smiglecius aliò decurrendum ſibi putavit. Divinis armis, veritatem divinam quam profitemur, in ſpeciem adortus, cum expugnari non poſſe ſenſiſſet; in eam partem maximè incubuit, ut hominum animos a legendis noſtris, quãtum poſſet, deterreret; id verò tùm dogmatis noſtris eò longè omnium veriſſimis, quod è divinis literis fluxerint, novorum monſtrorum, & impietatis & blaſphemiæ nomine traducendis; tum quibusdam illorum defenſoribus inſectandis, & magno ſupercilio ac faſtu ingenti deſpiciendis; ut veritatem, quam nec convellere neque labefactare, ac ne dimovere quidem loco poterat, a conſpectu omnium hac ratione ſubmoveret & abſconderet; & nos è Chriſtianorum cætu ſi poſſet, eliminaret. Conſilii iſtius Smigleciani teſtes ſunt; cùm editi libri & Appendicis annexæ, nihil niſi portenta & impietates crepantes inſcriptiones; tum Appendix volumini in ſpeciem oppoſita, cujus ne milleſimã quidem partem attingeret; teſtis illa præfationi libri inſerta vox: *ita ut uno* (loquitur de Socino) *difflato, reliqui in fumum abiiſſe cenſeantur;* teſtes permultæ aliæ ſimiles; & his adiectæ pluſquàm Thraſonicæ minæ; nec non Socini, Statorii piæ memoriæ virorum; & Smalcii Dei beneficio ſuperſtitis; ac mei ſugillationes; nobis denique non ſolùm de Chriſtiano nomine mota controverſia; ſed etiam illius, ſi Smiglecii valeat ſuffragium, abjudicatio facta. Priſcorum Phariſæorum mos & inſtitutum fuit, Chriſti & Apoſtolorum doctrinã, cujus virtuti reluctari non poſſent, exoſã reddendã; Chriſto & diſcipulis ipſius deprimendis, inſectandis, traducendis, damnandis, authoritatem & gloriam apud ſuos venari, hacque via & ratione eò conniti, ut magni in oculis ſuorum apparerent. Hinc illis Servator toties exprobrat; illos omnia facere ſolitos, ut ab hominibus ſpectarentur; & elaborare, ut coram hominibus juſtificarentur; quibus reponit, quod apud homines altum & ſpectabile eſſet, coram Deo pro abominatione cenſeri. Iſtud Phariſaicum inſtitutum æmulari, an fuerit ejus, qui Theologiæ Doctoris, nomen uſurpet, cordatis judicandum relinquo; ipſe verò ad ea, quæ noſtris oppoſuit, in nomine Domini accedo. Dominus Ieſus calamum meum ita moderetur, ne latum unguẽ a doctrina ipſiꝰ diviniſſima deflectat. Amẽ.

Titulum Smiglecius Appendici iſti dedit: *Appendix, in qua, objecta, Moſcorovii Ariani, refelluntur, & quàm impiè cum ſuis aſſeclis de baptiſmo ſentiat, oſtenditur.* Iſta igitur quomodo probet, ope Dei freti, expẽdemus. Et quoniam ſcriptionis iſtius ſuæ, hæc veluti capita propoſuit: Primùm quod ægerrimè feram, me noſtroſque Arianos ab Aduerſariis dici: Deinde, quòd injuria me noſtroſque Chriſtiano nomine indignos, cenſeri judicem: Poſtremò quod Deum trinum in perſonis agnoſcere

gnoſcere

gnoſcere nolim: quæ ille ſibi declaranda, uti ſcribit, putavit, ut objectionum veritas, & excuſationis noſtræ infirmitas appareret; propterea iis ordine, quantum per ipſum Smiglecium licuerit, inſiſtemus.

Quod igitur primò objicit, me ægerrimè ferre, quòd illi me noſtroſque Arianos vocent: ſi ea oratione ſignificare voluit, nobis id moleſtiſſimum eſſe, fallitur egregiè. Hæc enim & ſimilia, quæ in nos contemptus cauſa unà cum ſuis congerere conſuevit Smiglecius, ſummâ animi æquitate & moderatione ferre Dei beneficio didicimus: ſin verò ſic ſenſit, nos exiſtimare Arianorum nomen injuriâ in nos conferri, id quidem agnoſcimus. Cujus rei rationem evidentiſſimam, cum afferamus; nempe quòd a ſententia dogmatum Arii plurimùm abſimus, cordato cuivis planum eſſe confidimus, nos Arianos dici nulla ratione poſſe.

At idem convincere nos vult Arianiſmi; id vero hac ratione: *Qui dogma* (inquit) *Arii ſectatur, eum nomen Arii rejicere nullo modo poſſe.* Cum autem aſſumendum Smiglecio fuiſſet, nos Arii dogma ſectari; ille loco huius ſubſumit; *nos etſi cum Ario non in omnibus conſentiamus; conſentire tamen in præcipuo & eſſentiali, cum Filium Dei naturâ Deum, & Patri conſubſtantialem negemus.* Concluſionem adverſus me direxit. *Quemadmodum* (inquit) *ſi filius non in omnibus Patri ſit ſimilis, dum modo ſit in ſubſtantia ſimilis, verus eius filius exiſtet. Ita ſi Moſcorovius eſſentiam quodammodo doctrinæ patris ſui Arii teneat, verus eius filius, & verus Arianus dici debebit, etſi in accidentariis quibuſdam ab Ario diſcrepet.*

Maiorem, ſi per dogma Arii, ſententia illius vel prorſus de omnibus, vel certè de præcipuis fidei myſteriis intelligatur, admitto: ſin verò per dogma Arii aliquam partem ſententiæ Arii, de rebus ad religionem ſpectantibus, accipi velit Smiglecius, ut procul dubio vult, pernego. In hac enim ſignificatione maior accepta, ut pote, quæ ex parte totum colligat, eſt falſiſſima. Minoris infirmitatem, agnovit ipſe Smiglecius, dum eam quemadmodum oportuit, è Maiore aſſumere eſt veritus; verùm hac exceptione limitavit, quòd non in omnibus cum Ario conſentiamus. Quod autem ex eo, quod in præcipuo & eſſentiali, uti ſcribit, cum Ario conſentiamus, dum Dei filium nos verum Deum & Patri ὁμοούσιον negare ait, nos dogma Arii conſectari convincere vult; etiam ſi hoc veriſſimum eſſet, nobis in aliquo dogmate præcipuo & eſſentiali cum Ario convenire; tamen ne hinc quidem, nos Arianos eſſe, rectè ob ſimile vitium argumentationis, à nobis ſuperius paulò detectum, concluderet. Certè Deum Iſraël, eſſe verum Deum cœli & terræ conditorem, eſt præcipuum & eſſentiale Iudæorum dogma; num

 gma; num

gma; num propterea Christiani, quia eis in quodam præcipuo & essentiali dogmate cum Iudæis convenit, Iudæorum discipuli aut imitatores censendi sunt? At censendi essent prorsus, si Smiglecius, rectè adversum nos argumentaretur. Deinde falso nobis impingit, filium Dei, nos Deum verum negare: Agnoscimus enim Iesum Nazarenum singularissimum Dei filium esse; fatemur eundem cum talis Dei filius sit, esse Deum verum. Atque cum idem Dei filius propterea Deus verus sit, quòd sit verus Dei filius: Pater autem non sit propterea Deus verus, quod sit verus Dei filius; perspicuum est Dei filium, licet Deus verus existat, eundem Deum qui pater est, non esse, ac neque Patri ὁμοούσιον, id est, unius numero, eiusdemque prorsus, ut illi interpretantur substantiæ, cum id prorsus ἀδύνατον sit, & contradictionem involvat. Etenim hac ratione efficeretur, Patrem esse filium, atque ita non esse patrem. Quare meritò atque optimo jure negatur a nobis ὁμοούσιος patri filius. Sed quoniam hic Smiglecius etiam demonstrare pergit; Arii fuisse præcipuum & essentiale dogma, quo negârat ὁμοούσιον patri filium, quæ ad hanc rem comprobandam affert, expendamus.

Scribit igitur: *Hoc præcipuum fuiße Arii dogma: cætera verò ad hoc unum defendendum excogitata, ut quod fuerit ex nihilo, ex non existentibus ante mundi initium, conditus ὁμοούσιος patri.* Atqui non minus id quo probat, quàm illud quod probandum suscepit Smiglecius, assertio nuda est; & utrique res ipsa videtur repugnare. Etenim ex eo, quòd sententiam aduersarii nego, me non sentire cum aduersario liquet; at quid ipse sentiam, nisi illud profitear, nondum apparet. Ex professione igitur sententiæ meæ, non ex negatione sententiæ aduersarii, quod præcipuum & essentiale sit meum dogma, spectari debet. Arius professus est, filium Dei ex non entibus esse factum. Hæc igitur erat Arii de filio Dei sententia; ac proinde hoc ipsius de filio Dei præcipuum & essentiale dogma. Quod etiam vel hinc apparet, quòd positâ Arii sententiâ, sententiam Aduersariorum ipsius tolli, nemo non videt. Etenim si verum esset, filium Dei ex non entibus factum; necessariò filium Dei non esse ὁμοούσιον patri, consequeretur. At negatâ de filio Dei aduersariorum sententiâ, poni sententiam Arii non est necesse. Vnde manifestum est, ad approbationem suæ sententiæ ab Ario quæsita omnia & excogitata; ac propterea professionem sententiæ ipsius, non autem aduersariorũ sententiæ negationẽ, de filio Dei præcipuũ & essentiale Arii dogma fuisse. Quid? quod Arius ne hoc quidem negare potuit, quod nondum extiterat, si vera scribit Bellarminus vester, qui ecclesiã, per quam procul dubio Nicænũ concilium intelligit, hoc vocabulum ὁμοούσιος invenisse

tradit.

tradit. Sic enim idem: *Sicut licuit antiquæ Ecclesiæ contra hæreticos nova vocabula invenire, ut ὁμοούσιον &c.* Quam Bellarmini sententiam confirmare videntur illa, quæ Ecclesiasticæ historiæ referunt; quod quidã è patribus Nicænis fuerint, qui subscribere Nicæno Symbolo noluerint: quidam qui non ex animo subscripserint; permultos etiam extitisse qui ὁμοούσιος voce uti ausi non fuerint; confirmant & illa, quæ post Nicænam fidem, diversis in Conciliis nata sunt novem fidei Symbola, a Nicæno multum diversa: confirmat denique expressa Hilario querimonia; qui post Nicænam Synodum, nihil aliud a se & aliis ejus ætatis fieri, quàm fidem scribi; & annuas atque menstruas de Deo fides decerni; & quantas turbas vox ὁμοούσιος dederit, gravissimè conquestus est; quæ cum alibi satis copiosè a nobis, ejus verbis recitata sint, uti & alia; hic ea duntaxat attingere, uti quæ ad confirmandam Bellarmini sententiam plurimùm facere videbantur, satis esse putavi. Etenim si hæc vox ὁμοούσιος tùm non fuisset inventa; cur illa quæ commemoravimus, eam subsecuta fuissent? cur tantum turbarum ubique dedisset? Viderit itaque ipse Dominus Doctor, quàm verè hoc affingat Ario, ipsius dogma præcipuum & essentiale fuisse, non quod Arius ipse affirmaverit, sed quod negaverit. Quod ad conclusionem attinet, similitudinis, quã illam expressit Smiglecius, tùm protasis, tùm apodosis falsa est. Nam filius, non ob similitudinem substantiæ, quam pater habet, dicitur filius, sed quòd patrem habeat; cum similitudo substantiæ, in aliis etiam qui filii non sint, locum habeat: at affectio & relatio illa mutua nusquam alibi nisi in Patre & filio conspiciatur; Porrò me non quodammodo, ut Smiglecius scribit, quod tamen ejus apodosin ex parte convellit, sed omnimodo, non in accidentariis, sed in præcipuo & essentiali dogmate, ab Ario discrepare, ex iis quæ disseruimus, cordatus lector agnoscet.

Cont. gen. 7. lib. 1. cap. 20.

Hilarius

Secundæ rationis loco affert, *quod Ariani omnes dicti antiquitus fuêre, licèt sententiis inter se discordes essent; qui in præcipuum errorem cũ Ario conspirarent, nempe, filium Dei non esse patri consubstantialem.*

At fuisse præcipuum Arii errorem, negare filium patri ὁμοούσιον, falsum ostendi: Deinde Photinum & ante eum Marcellum, atque Paulum Samosatenum, & alios qui negabant filium Dei extitisse, antequam è virgine Maria nasceretur, nulla unquam vetustas Arianos appellavit. Quare falsissimum est prorsus, quod hîc asserit Smiglecius. Immò Iustinus, scriptor vetustissimus, Christianos suo tempore fuisse, testatur, qui eam, quam nos profitemur, de Domino Iesu, sunt professi sententiam. Sic enim ille: *Non vanescit hæc (mi Tripho) propositio, hunc esse Christum Dei; si non valuero demonstrare fuisse illum jam ante filium Creatoris rerum*

In Dialog cum Triphone Iudæo.

ris rerum omnium; ac deinde natum ex Maria virgine. Nam si non demõstro, eum jam ante fuisse, prinsquam homo factus, carnem nostræ similem sumeret, ex patris arbitrio, hactenus tantum errare me potes dicere; sed non est æquũ, ut hunc Christum esse neges si liqueat hominem ex hominib⁹ natum, ad hoc ut per electionem Christus fieret. Etenim sunt quidam, ô Amici, ex nostris hominibus, qui fatentur eum Christum esse; sed hominem ex hominibus ajunt &c. En vides Iustinum referre, fuisse ipsius tempore, qui divinam Christi essentiam non agnoscerent; qui pro Christianis ab omnibus haberentur; Alioquin, nunquam eos Iustinus, pro suis hominibus agnovisset.

Tertiæ rationis loco affert: *Quanquam, quid opus est, inquit, Arianos in omnibus cum Ario consentire, si ne Arius quidem, semper secum consensit.*

Atqui Smiglecius oblitus erat fortasse, quòd me & nostros esse Arianos, probandum hoc loco suscepisset: cum ex eo, quòd Arius sæpe a se dissensit, probet, nihil opus esse, ut Ariani semper cum Ario consentiant? Hocné est, nos Arianismi convincere, loco conclusionis debitæ, quod nihil ad quæstionem faciat, obtrudere?

At me hîc compellat, *si me pudeat Arianum esse, pudeat prius Arii dogma sequi, neque me ante depositurum infame Arii nomen quàm Arii dogma fuerim detestatus.*

At cum dogmata omnia, è purissimis divinarum literarum fontibus hauserim; & ex iis semper meliora doceri paratus sim; falsissimum est, me Arii dogma sequi, uti etiam ante patuit. Doctrinæ verò Apostolicæ me non magis pudet, quàm olim Apostolum puduit Evangelii. Rom. 1. 16. Cujus doctrinæ nomine, dum mihi Smiglecius infame nomen exprobrat, dum ipsius similes calumniis & convitiis me subinde proscindũt; pro singulari ornamento, & magna parte felicitatis meæ duco. Sic enim illud in me impleri mihi persuasissimum est, quod Servator noster prædixit: *Beati eritis, quum oderint vos homines, & quum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis: Gaudete & exultate in illa die. Ecce enim merces vestra multa in cælis: Secundũ enim hæc faciebant prophetis patres eorũ.* Luc. 6. 22. 23.

Sed pergit Smiglecius: *Quanquam cum se Moscorovius ab Ario disjungere vult; se Ario ipso deteriorem prodit, mali patris peior filius. Plura enim Arius filio Dei concedebat, neque fuit adeo impudens, aut impius, ut ei ante mundi existentiam, & alteram ab humana distinctam naturam, & mundi creationem contra manifestas scripturas negaret; quæ tamen Moscorovius omnia cum suis negat; ita ut in iis, quibus discedit ab Ario, peior sit Ario, & in Christum magis injurius.*

Asserit

Asserit Smiglecius, me Ario deteriorem, Quid ita? Quòd inquit, filii Dei ante mundum conditum existentiam; alteram ab humana distinctam naturam; mundi per eum creationem, contra manifestas scripturas negem, & eò me etiam vult impium & impudentẽ, ac in Christum injurium. Primùm nego, ullas scripturas, nedum manifestas esse, in quibus aut extet, aut ex quibus necessariò efficiatur, quę hic de Christo negari a me, contra manifestas scripturas scribit Smiglecius. Deinde cùm divinæ literæ conceptum è Spiritu Sancto; natum ex Maria virgine Dei filium apertissimè doceant: hinc concluditur necessariò, nullam filii Dei existentiam, antequam conciperetur, & nasceretur dari posse. Luc. 1. 32. & 35. Existentiam enim habere & concipi; pugnantia sunt prorsus, & contradictionem involvunt. Vnde etiam cùm è Maria natus, etiamsi conceptus divino modo fuerit, illum tantùm humanam naturam habere, atque propterea mundi creationem opus illius non esse, evidentissimum est. Quapropter, cum illa a nobis negantur, quæ sacræ literæ non agnoscunt, falsissimum est, contra manifestas scripturas negari. Nec enim divinæ literæ usquam secum revera pugnant: pugnaturæ, si aliam existentiam filii Dei docerent. Quapropter, quo jure mihi impietatem, impudentiam, ac in Christum injuriam, & quòd Ario deterior sim, objiciat Smiglecius, quòd eorum commenta, quæ divinis literis velare volunt, repudiem; cordati judicent: At quòd imitatus Skargam, me mali patris etiam deteriorem filium vocat; hic istorum mos est, qui malunt ineptiis, quàm rationum nervis chartas complere.

Postremo rationibus suis, quas hactenus persecutus est, finem imponens, scribit: *Deniqúe si tantam injuriam putat Moscorovius, se suosque Arianos dici, noverit a nobis eos non absolutè Arianos, sed novos Arianos appellari, hoc est, Arii cum novis & deterioribus erroribus sectatores. Ita enim verum est ipsos & Arii sequaces esse, & non in omnibus cum Ario convenire.*

O hominis æquitatem! Tu tamen cordate lector è nostra Smiglecii rationum confutatione satis apertè deprehendisti, quàm bellè nobis cum Ario conveniat. Quare falsum est, ulla ex parte Arii sectatores nos esse: ob idque, quo jure nos vocet, novos Arianos, iste æquitatis cultor, prudens lector deprehendet. Nam errores, quos nobis objicit Smiglecius, Ario deteriores, nunquam probabit.

Sed excipit objectionem, uti scribit meam; idque ad eum modũ: *At objicit Moscorovius, immeritò eos Arianos appellari, qui Deum trinum in personis non agnoscunt, cum Arius non propterea sit in concilio Nicæno excommunicatus, quòd trinitatem negaverit, sed quòd Dei filium ex non entibus creatum docuerit. Immò patres Nicæni concilii, illo saltem*

tempore

tempore trinitatem non agnovisse,inde colligi putat,quia de Spiritus sancti divinitate & persona nihil tum decreverint. &c.

At Smiglecius aliter nostra, quàm a me scripta sunt,recitat. Scripserat P. Skara, Arium a Deo in personis trino defecisse; id ego a Skarga temerè asseri,docui, ipsa sententia in Concilio Nicæno adversus Arium & sectatores lata; in qua damnati Arii & sectatorum ejus, esset apertissimè caussa expressa. Ubi igitur hîc illa, quam mihi affingit Smiglecius objectio? Ea verò ex re, cùm nulla in Concilio Nicæno Dei in personis trini edita sit professio; nulla Spiritus sancti ejusmodi, quòd tertia Deitatis esset persona, facta mentio; nonne satis apparet, quòd trinus in personis Deus nec dum Ario, ac ne ipsis quidem patribus Nicænis cognitus fuerit? neque ejusmodi de Deo confessio, illis temporibus usitata vel familiaris? Etenim si illis temporibus communis & usitata fuisset,cur eam publicè in Symbolo, quo fidē novam orbi Christiano præscribebant Nicæni patres, omnibus non proposuissent? Quamobrem intererat fidei D. Doctoris, ut quemadmodum scripta sunt,nostra produceret. Sed audiamus nihilominus quid respondeat.

Respondet igitur: *Arium id maximè egisse,ut trinitatis fidem everteret,quæ in communi trium personarum essentia fundatur. Nam etsi de filio Dei multa absurda doceret,id tamen maximè ursit,ne ὁμοούσιος seu consubstantialis patri crederetur. Neque ullis rationibus adduci potuit,ut voci consubstantialis subscriberet, nimirum quod ea voce communis trium personarum essentia designaretur. Etsi autem filium solum consubstantialem negaret, nullâ Spiritus sancti factâ mentione, siquidem de filio tum omnis erat controversia: tamen idem procul dubio, de Spiritu sancto sentiebat* &c. *Quocirca & Patres Nicæni, id potissimum spectabant, ut voce consubstantialis appositâ,totius trinitatis fidem stabilirent.*

Audio a D. Doctore, Arium id egisse,ut trinitatis fidem everteret; sed probationem firmam ejus rei video nullam: Esto enim,quòd Arius maximè urserit, ὁμοούσιον non esse patri filium; esto, quòd subscribere voci ὁμοουσίου nulla ratione voluerit; nondum tamen ex eo vel minimum apparet, trinitatis fidem Arium evertere voluisse, cum illa personam filii duntaxat attingant. Nam quod Dominus Doctor in voce ὁμοουσίου, communem trium personarum essentiam fundari; & patres Nicænos ista voce totius trinitatis fidem stabilire voluisse scribit; hæc ipsa probatione vehementer egent; Etenim si vim vocis ὁμοουσίου spectes,nihil aliud naturâ suâ designat,nisi eum qui ejusdem substantiæ sit; sin vocis hujus usum, hanc patres Nicæni qui ipsius, si Bellarmino est habenda fides, inventores fuerunt; ad filium, quem Patri ὁμοούσιον voluêre, retulerunt. Non igitur ad stabiliendam aut designandam personarum,

narum, in uno Deo, trinitatem. Immò verò cum ὁμοούσιος substantiam præsupponat, cui ὁμοούσιος sit; divinæ autem substantiæ seu essentiæ, nihil præsupponi possit; patet voce ὁμοουσίου divinam trium personarū essentiam, nullo modo designari. Nam quod ex eo, quod filium patri ὁμοούσιον negaret Arius, uti scribit Smiglecius, colligit,Arium procul dubio de Spiritu sancto idem sensisse; collectionis istius, nulla vis est. Poterat enim Arius illud negare,quod eum negasse scribit Smiglecius; & interim nullam mentionem Spiritus sancti facere: quemadmodum nullam ab eo factam, inde fit verisimile, quod nec Patres Nicæni, nec ullus Ecclesiasticorum scriptorum, quicquam ejus rei meminerit.

At me premit Athanasii auctoritate: Sic enim scribit: *Testis ejus rei est Athanasius, qui concilio Nicæno interfuit; cum in epistola ad Africanos ita ait: Eadem illa Synodus, blasphematores Spiritus sancti dicentesque eum creaturam esse subvertit. Nam cum Patres statuissent de fide in filium, id statim addendum voluere; Credimus & in Spiritum sanctum, ut perfectam & plenam de S. trinitate fidem,confessionesque absolventes formam ejus quæ est in Christo, fidei exhiberent: cum & vobis omnibus sit notum, neminique Christianorum unquam dubium fuerit, nos in Deum non in creaturam habere fidem; Deum,inquam, patrem omnipotentem,omnium visibilium & invisibilium conditorem; & in unum Dominum Iesum Christum, filium ejus unigenitum: & in Spiritum sanctum, unum Deum in S. trinitate cognoscentes,in qua baptisamur,& in quam cooptamur trinitate.* Hoc ergò (inquit idem Smiglecius) *Athanasii testimonium,qui & Synodo interfuit, & Patrum illorum in condendo Symbolo mentem optimè perspectam habuit & pro omnibus cum Ario decertavit satis esse debet ad temeritatem Moscorovii refellendam, asserentis Patres concilii Nicæni fidem trinitatis ignorasse;* quam etiam expositam ab iis vult, *quòd æquè credere se in Patrem, filium consubstantialem & Spiritum sanctum sint professi.*

Smiglecius in eam rem, quòd Patres Nicæni id spectarint, ut voce ὁμοουσίου Trinitatis fidem constabilirent, testem produxerat Athanasium. Hoc enim probandum sibi proposuerat, ut ex ipsius oratione testimonium Athanasii antecedente, & rei serie, manifestissimum est. At verò, nihil ejusmodi habet Athanasii testimonium. Nullo igitur modo testimonio Athanasii probat, quod probandum susceperat. Veruntamen temeritatem meam eodem testimonio refellit. At non id erat in quæstione: nihilominus & id videamus, quemadmodum temeritatem, uti scribit, meam refellat. Patres Nicænos fidem in Deum Patrem universi conditorem, & in filium Patri ὁμοούσιον, ac in Spiritum sanctum in Symbolo Nicæno professos esse, in prima & secunda mea

adverſus P. Skargam reſponſione, ſum confeſſus. Quî igitur teſtimo-
nium Athanaſii, meam, quam mihi exprobrat, temeritatem refellit,
quod idem à Patribus Nicænis factum teſtatur? Verùm ea re, quòd A-
thanaſius qui Synodo interfuit, qui optimè mentem Patrum illorum
perſpectam habuit, illos agnoviſſe trinitatem, dum fidem in Patrem, in
filium & Spiritum ſanctum profeſſi ſunt, colligit, temeritatem meam
refelli, inquiet. At dum è fide in Patrem, filium & Spiritum S. Athana-
ſius colligit, Patres Nicænos Dei in perſonis trini fidem cognoviſſe; nō
tanquam eum, qui Synodo interfuerit; aut qui mentis Patrum Nicæno-
rum optimè conſcius fuerit; ſed tanquam ratiocinatorem & diſputa-
torem, qui è verbis Patrum colligere, quod quærit, velit, id feciſſe per-
ſpicuum eſt: quod etiam Smiglecius eadem prorſus ratione efficere
conatur. Quapropter hoc teſtimonio Athanaſii, tanquam in Concilio
Nicæno actorum teſtis, aut mentis Patrum conſcii, me premere nulla
ratione poteſt Smiglecius. Ac prçterea, ne hoc quidem indiſcuſſum re-
linquendum videtur, de quo alibi copioſè egimus; an è fide in aliquem,
rectè Deitatis perſonam colligant, tam Smiglecius, quàm Athanaſius.
Ac Smiglecio quidem oppono Bellarminum Ieſuitarum ducem & An-
Contr. gene. 7. lib. 1. c. 20. teſignanum, qui ſic ſcribit: *Sicut Deum non poteſt invocare, qui in eum
non credit, id eſt, non credit eſſe Deum, & qui ei non credendo in eo non ſpe-
rat, nec eum diligit: ita etiam eum non poſſe ſanctos invocare, ut ſanctos
& amicos Dei, qui ſuo modo in eos non credit, id eſt, non credit eſſe ſan-
ctos, nec in eis ſperat ut in patronis, nec eos ut tales diligit.* Item alium Ie-
ſuitam, non obſcuri nominis Vuiekum, qui in epiſtolam ad Philem: in
ſua polonica novi Teſtamenti verſione, Catholicos in ſanctos crede-
re annotat. Ergo, ſi vera eſt Ducis & collegæ Smiglecii ſententia, quàm
malè ex fide in aliquē, Deitatis perſonam colligat, Smiglecius animad-
vertit; ac proinde ex eo, quod etiam fidem in Spiritum ſanctum pro-
feſſi ſint Patres Nicæni, perperam, illos Deum in perſonis trinum pro-
feſſos eſſe, ſtatuit. Athanaſii porro collectioni, oppono clariſſima divi-
Ioh. 3. 14. 5. 15. narum literarum teſtimonia: Chriſt⁹ ait: Oportere exaltari filium ho-
minis, *ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*
& 12. 32. Idem alibi, *cum exaltatus*, inquit, *fuero, omnes traham ad me ipſum.* Er-
go cum fidei in filium hominis exaltandum, promittatur æterna vita;
& exaltatio Chriſti, cauſſa futura erat fidei in Chriſtum; hinc apparet,
ex fide in aliquem per ſe, perperam colligi ab Athanaſio divinitatis
perſonam. Ita Apoſtolus recitato vatis teſtimonio ſcribit palam: exo-
Rom. 15. 12. rituram radicem Ieſſæ, quæ rectura eſſet Gentes, in qua gentes eſſent
ſperaturæ. At ſperare in aliquo, & credere in aliquem, æquipollent.
1 Petr. 1. 13. Mitto, quòd divinæ literæ etiam nos, perfectè ſperare in oblatam gra-

tiam jubeant, & credere in Dei teſtimonium velint. Nam quod addit 1. Ioh. 5. 10.
Smiglecius, eos æquè ſe credere in Patrem, filium, &c. profeſſos eſſe; il-
lud *æquè* non habetur in Nicæno Symbolo, ac neque neceſſariò colligi
poteſt. Cur igitur illud profeſſos patres, ſcribit Smiglecius?

Ad eum modum perfunctus primo capite Smiglecius, ad ſecundum
accedit, & ſcribit: *Iam quod ad Chriſtianum nomen attinet: non nos pri-
mùm ſanctum hoc nomen Arianis negamus. Negarunt ſancti ante nos pa-
tres* &c. Idque Magni illius Conſtantini authoritate, qui Arium & ſecta-
tores non Chriſtianos ſed Porphyrianos in poſterum nuncupari, & e-
orū libros cremari edicto graviſſimo curavit, &c. & Athanaſii, qui con-
tra Arianos ſcribens oſtendit, eos Chriſtianâ fide abolitâ, gentiliſmum
inducere voluiſſe approbet, &c. At Conſtantinū, in Patribus numerare,
non poteſt Smiglecius. Athanaſius etiam, pro ſanctis patribus cenſeri
nequit, unus. Nec eo tamen inficias, Conſtantinum Magnum vocaſſe
Arianos Porphyrianos; ut cremarentur etiam eorum libri pœnâ capi-
tis ſanxiſſe. At quandoquidem authoritate illius niti Smiglecio placet;
non legit Smiglecius, eundem Conſtantinum paulò poſt & Arium ab
exilio revocaviſſe, & Athanaſium in Gallias deportari curaviſſe, & e-
undem Conſtantinum fratrem in literis appellaviſſe Arium, & teſta- Ruf. lib. 1. c. 17.
mentum ſuum cum fato concederet, Ariano Sacerdoti Conſtanti filio Sozom. li. 2. c. 27.
reddendum, crediſſe, ut authores Eccleſiaſtici ſcriptores ſunt. Atha-
naſius etiam, quid conſequeretur ex Arianorum dogmate colligit, non
autem ſimpliciter Arianos Chriſtianos non eſſe, pronunciat. At neque
ſatis cautè factum unius atque alterius veterum, Arianis opponit Smi-
glecius, cum in juris quæſtione verſetur. Nec enim factum Conſtanti-
ni aut Athanaſii, legis divinæ obtinet vigorem. Immò contumelioſæ
appellationes, pugnant cum lege Chriſti vetantis fratri dicere Stulte,
aut Racha. Nec illud prætereundum, unum Conſtantinum, qui tamen
ſententiam priorem mutaverat; alterum Athanaſium opponi Arianis
a Smiglecio; at pro Arianis univerſus Chriſtianus orbis opponi poteſt
Conſtantino & Athanaſio; Etenim cum Hieronymus, ſic ſcribat: *Inge-* In Dial. contra Luciferian.
muit orbis, & ſe Arianū eſſe miratus eſt; certè maxima tum orbis Chri-
ſtiani pars ad Arianiſmum deflexerat. Qua ratione igitur, tùm, a vete-
ribus Ariani non ſunt habiti Chriſtiani? Poſtremò fecerint hoc veteres,
quod tamen eos non feciſſe certum eſt: at hoc, quid ad nos? qui nec A-
riani ſumus, uti paulò ante demonſtravimus, neq; Smiglecius unà cum
ſuis ſunt veteres illi? nec in nos amplius juris habent, quam pars aduer-
ſa in aduerſam juris habere poteſt. Quo jure igitur, qua lege, hoc ſibi
cum ſuis arrogat, ut nos novos Arianos vocet? Chriſtum Dominum &
ſervatorem noſtrum, atque unicum Doctorem & Magiſtrum agnoſci-

mus. Eundem si aduersarii nostri agnoscant pro Domino, Doctore & Magistro unico; unâ eademque operâ conservos se nostros, & condiscipulos agnoscant; non dominos; multò verò minus judices. Ergò quemadmodum iis disputare nobiscum & conferre de rebus divinis licet; ita in nos statuere aut decernere quidpiam, nullo jure licet. Si licere putant; proferant communis Domini tabulas: proferre non possunt, id sibi non licere agnoscant. At nos etiam jus divinum & humanum omne, quod apud omnes gentes non solùm consensu communi, verùm etiam jure positivo invaluit, opponimus. Parti aduersæ judicis personam induere, nulla ratione licere: Quæ si judicis partes nullo jure potest sumere; quo jure in aduersam partem, quicquam decernet? Iam & illa ratio, quam hic inserit ex Athanasio, & qua nos per Arianorum latus petere conatur, nos nihil afficit. Idcirco Arianos quod Christum, quem creaturam esse contendunt, pro Deo colunt, Gentiles esse, ac etiam idololatria; cum nos, quos hic Smiglecius oppugnare videtur, non modo creaturas, quod Gentiles fecerunt, sed ne creaturam quidem pro Deo, id est, loco unius illius Dei colamus. Sed Deum unum colimus; qui Christi pater est; Christum verò non quidem loco Dei, sed unà cum Deo colimus, propterea, quod ea sit illius unius Dei, Christi Patris voluntas, qui in eum finem divinam majestatem, imperium & potestatem Christo dedit; ut ab omnibus adoraretur. Testatur id Christus apertissimè: *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Testatur etiam Apostolus, qui exaltatum Christum, eique nomen supra omne nomen donatum scribit, *ut in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & inferorum.* Qui Christi cultus, ut a Dei voluntate profectus est; & Christo propter divinam majestatem, quam a Patre consecutus est, ab omnibus jure debetur; ita etiam in gloriam Dei & Patris redundat, quemadmodum Apostolus expresse ait; atq; propterea unius Dei cultus merito atque optimo jure censetur. At quod Deo volente fit, & in gloriam ejus cedit, quantùm id ab omni Gentilismo & idololatria abest? Quapropter nos, qui Christum propter caussas expressas colimus, non solum nihil prorsus cum Gentilismo & Idololatria commune habemus, verùm ea re maximè ingenium Christianorum exprimimus & referimus; & qui Christum hac ratione Deo illi summo in cultu hoc subordinatum, colere nollet, is seipsum nomine Christiano abdicare videretur.

Ioh. 5.22.& 23.

Verum instat Smiglecius: *Anne qui Christum non confitetur, Christianus dici poterit? Arianos autem certum est Christum non confiteri; cum divinam*

divinam

divinam ejus essentiam tollunt, aliumque diversum seu diversæ essentiæ confictum Christum obtrudunt.

At si vim rationis hujus expendas, tantum abest, ut nos Christiano nomine abdicet, ut Christianos prorsus asserat atque ostendat. Nam si ii, qui Christum non confitentur, Christiani non sunt; Ergo eos, qui Christum confiteantur, Christianos esse, prorsus est necesse. Nos ore, scriptis, studiis, coràm universo orbe Christum profiteri, testes sunt tot libri, quos in lucem de Iesu Christi persona, munere atque doctrina dedimus. Quapropter ex vi rationis a Smiglecio allatæ, nos Christianos esse, prorsus est necesse. At nos non confiteri, probare vult Smiglecius, quòd divinam Christi essentiam tollamus, & confictum Christum pro vero, ut ait, obtrudamus. At si fatetur Adversarius, nos Christum, ut pro suo more loquitur, confictum pro vero obtrudere. Ergo nos Christum confiteri certum est, ut ut in confessione illius essentiæ, secundum ejus opinionem, erremus. Error circa rei essentiam tantum abest, ut essentiam rei tollat, ut etiam præsupponat. At præterea falsissimum est, nos circa Christi essentiam errare, dum divinam ejus naturam, quam illi cum suis affingit Smiglecius, negamus. Etenim Christi essentia quatenus Christus est divinum illud munus est, Iesu Nazaræno a Deo patre injunctum; quod si quis divinam essentiam eo sensu appellare velit, per me licebit. Quapropter Christi essentia, non est illa divina natura, generatione ex substantia patris cum illo ab æterno cōmunicata, quemadmodum cum suis vult Smiglecius. Antecedens patet ex literis divinis; quæ apertissimè Iesum Nazaræum a Iudæis crucifixum, a Deo factum Dominum & Christum tradunt: modum etiam quo factus est Christus, manifestissimè exponunt: dum Iesum a Nazareth unxisse Deum Spiritu sancto & virtute commemorant. Quocirca dum divinam in Christo naturam negamus, non confictum Christū obtrudimus; sed ne nobis loco ejus, qui factus a Deo Christus est, alius substituatur, omni ratione obnitimur.

Act. 2. 36.

& 10. 38.

Secundam rationem affert: *Si baptismo efficimur Christiani, idque non nisi per invocationem veri Dei patris, filii & Spiritus sancti, quis non videt, Arianos Christianos non esse, qui & invocationem trinitatis non admittunt, & omnem baptismi rationem evertunt? Nam & formam baptismi, & effectum, & necessitatem penitus auferunt.* Multa huc congessit alia Smiglecius, quæ ad præcedentem quæstionem parum facere videntur; quæ cum inferius repetat, illuc etiam responsiones ad singula differendas putavi, & ordinis conservandi studio, & tautologiæ vitandæ caussa. Nunc verò ad rationem istam respondeo. Cùm hic per baptismum, aquæ baptismum intelligat Smiglecius, falsum est aquæ baptismo

ptismo

ptiſmo nos effici Chriſtianos, uti patebit inferiùs; neque probari poteſt, per invocationem veri Dei patris filii & Spiritus ſancti aquæ baptiſmum ab Apoſtolis adminiſtratum; cum paſſim in Actis Apoſtolorum in nomine Ieſu Chriſti, vel in nomine Domini, tantùm adminiſtratus legatur. Locus etiam Matth: unde hæc verba affert Smiglecius; *baptizantes eos in nomine patris, filii, & Spiritus ſancti*, mentionem patris, filii, & Spiritus ſancti facit: at horum trium invocationē aut hos tres eſſe veri Dei nomen, non demonſtrat. Ex invocatione quidem, eius qui invocatur, mentio colligi poteſt; at ex mentione, nequaquam invocatio. Quamobrem quæ hîc aſſerit Smiglecius, ex his quæ attulimus, prorſus falſa apparent. At urgendus eſt etiam veterum ad quos provocavit ſuperiùs, exemplis: Conſtantinus Magnus, nonné pro Chriſtiano principe ſemper ab omnibus habitus, poſtquam in Chriſtum credere & eum profiteri non dubitavit, nonné idem Nicænum concilium indixit? nonné eidem interfuit? immò verò & præfuit, uti hiſtoria teſtis eſt? nonné illius auctoritatem ipſe Smiglecius Arianis paulò ante, & edicta objecit? & tamen idem, non ante aquæ baptiſmum, quàm LXV. ætatis annum attingeret, & extremū diem imminere ſibi ſentiret, uti Eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur, ſuſcepit? Quid igitur? Si Conſtantinum & innumerabiles alios, qui procul dubio principi ſuo hac in parte ſimiles fuêre, antequam aquæ baptiſmo tingerentur, Chriſtianos fuiſſe neget Smiglecius, eadem opera & illius antiquitatis judicium condemnet, & acta Conſtantini omnia, quæ tanquā Chriſtianus executus eſt, reſcindat neceſſe eſt. Porrò nos omnem baptiſmi rationem evertere, falſum eſt, cum baptiſma quod fit in nomen patris, filii, & Spiritus S. agnoſcamus, & ſalutare cenſeamus; licet illud eſſe aquæ baptiſma, negemus. Nec enim cum multiplex ſit in divinis literis baptiſmus, cum & doctrinæ, Act. 18. 25, & Spiritus ſancti Matt: 3. 11. & aquæ ibidem, & alibi perpeſſionum Matt: 20. 22, & 23 baptiſmum legamus; uti veſtrorum Doctorum quidam etiam obſervarunt inter alios Sixtus Senenſis ordinis prædicatorū lib: 6. bibliothecæ ſanctæ, ex authore operis imperfecti homilia 3. annotatione 12. ad illa verba: ego quidem vos baptiſo in aqua &c. illicò ſequitur, ubi baptiſmi fit mentio, illic intelligi aquæ baptiſmum, niſi id finis ſcriptoris, & omnes circumſtantiæ planum fecerint. Iam quæ ſubjicit, eam eſſe formam baptiſmi, ut in nomen patris, filii & Spiritus ſancti conferatur, cùm de aquæ baptiſmo intelligat; id acta Apoſtolorum abundè uti ſupra monuimus, refellunt. Quæ adverſus nos ex Athanaſio ſtringit, nos neque in veri patris nomine, neque in veri filii baptiſare, falſa eſſe hinc manifeſtum eſt; quòd nos & verum Deum patrem, & verum Dei patris filium Ie-

Euſebius in vit. Con. lib. 4. Socrat. lib 1. c. 29. Theod. lib. 1. c. 31.

ſium Ieſum Nazarenum agnoſcamus; mihi etiam de Spiritu ſancto quod objicit, quod eum perſonam negem; & excipit, eum eſſe quidem virtutem Dei; at eiusmodi, quæ intelligat, loquatur, audiat, annunciet, & ex eo infert, quod quid eſt aliud, quam perſonam eſſe? nihil eſt. Nam de Spiritu hominis hæc eadem dici poſſe, eum intelligere, loqui, audire, annunciare nemo non videt; at num propterea Spiritum hominis, concludet eſſe perſonam? Quod ſi de Spiritu hominis hæc dici poſſunt, & tamen ipſam perſonam hinc eſſe, nemo inferre audebit; cū hæc de Spiritu Dei dicantur, quî hinc, eum eſſe perſonam concludi poteſt? Quàm multæ actiones, rebus quæ non ſunt perſonæ, in divinis literis attribuuntur? Scriptura providet, tantò ante denunciat, vivificat &c. Ergo ſi verè concluderet Smiglecius, ſcriptura eſſet perſona? Alia afferre in re adeò pervulgata, non eſt neceſſe. Adverte igitur cordate lector, an Smiglecius attulerit quicquam, unde vel minima umbella appareat, nos Chriſtianos non eſſe, aut indignos eo nomine habendos.

Gal. 3. 8. 2 Cor. 3. 6.

Tertium caput aggreditur: *At inquit Moſcorovius fidem trinitatis Apoſtolos non docuiſſe.*

At cur D. Doctor, qua occaſione hæc ſcripta fuerunt à Moſcorovio reticuit? cur probationes ejusdem ſuppreſſit? Audiamus tamen quid D. Doctor reſpondeat: *Immò verò*, inquit, *non modò docuerunt, ſed & primò & ante omnia docuerunt, nec in numerum Chriſtianorum admittebant quenquam, niſi baptiſatum in nomine patris, filii & Spiritus ſancti quod eſt Dei trini in perſonis nomen. Cum dicerent in nomine, nomen Dei intelligebant, cùm verò patrem filium & Spiritum ſanctum nominabant, tres perſonas exprimebant, & ſic tres perſonas, unius deitatis docebant fideles, ut crederent.*

Neminem in numerum Chriſtianorum ab Apoſtolis admiſſum, niſi qui in nomine patris, filii & Spiritus ſancti aquâ, ut D. Doctor intelligit, baptiſatus eſſet; acta Apoſtolorum refellunt; quæ eos omnes, quotquot aqua baptiſati fuerunt, in nomine Ieſu Chriſti vel Domini baptiſatos teſtantur. Baptiſatos verò in nomine Chriſti, etiam baptiſatos fuiſſe in nomen patris & Spiritus ſancti, quemadmodum infrà vult docere Smiglecius; quàm infirmum ſit, patebit cùm eò venerimus.

Porrò neque hoc omittendum videtur, quod hîc Smiglecio Ieſuitæ cum P. Skarga itidem Ieſuita, quo cum mihi certamen, dum ſuperſtes erat, pro veritate fuit; & cuius hîc partes tueri eatenus Smiglecius videtur, quatenus noſtra, quæ P. Skargæ oppoſueramus, oppugnat, parùm convenire videatur. Is igitur ſupra illa eadem Matthæi verba; Baptiſantes eos in nomine patris, &c. ſcribit, *Apoſtolos dogma trinitatis*, propter

Pag. 82. lib. 1. edit. ſecund.

propter ipsius difficultatem initiò reticere solitos fuisse; eoque Petrum in
illa prima ad Iudæos concione, nihil prorsus de divinitate Christi disseru-
isse, sed tantum Dominum & Christum à Deo factum, quem illi in crucem
egißent, commemoraße; & Apostolum Athenis in Areopago, unum Deum
uuiversi conditorem prædicaße; de Christo hæc tantum attuliße; quòd De-
us cum à mortuis excitaverit, & mundi judicem constituerit. Rationes
porrò ejusdem rei idem Skarga ibidem reddit; nempe ne *deitate Chri-*
sti patefactâ multitudinem Deorum introducere videretur. Si igitur Skar-
ga fatetur initiò, trinitatis dogma ab Apostolis silentio pressum fuisse;
Smiglecius autem apertissimè scribat, Apostolos primò & ante omnia
trinitatem, id est Deum in personis trinum docuisse; expendat cor-
datus lector, quam hæc inter se cohæreant, & quam constans sit hac in
parte Iesuitarum doctrina. At quod scribit, patris, filii & Spiritus san-
cti esse Dei in personis trini nomen; & Apostolos cum dicerent, in
nomine, nomen Dei intellexisse; cùm verò patrem, filium & Spiritum
sanctum nominarent, tres personas expressisse, & ad eum modum fi-
deles ut crederent, docuisse: Vnde id probat? Est hoc in more posi-
tum istis Doctoribus, ut quod probandum maximè est, hoc sibi pro
concesso sumant, & cum adversariis certamen ita instituant, atque si
ipsis cum populo res esset, ad quem de Cathedra concionantur. Hoc
erat probandum D. Doctori, nec indignissimus homine literato prin-
cipii petitionis elenchus, in re tam gravi admittendus. Tantùm verò
abest, ut id quod asserit, nec probat Smiglecius, ex Apostolorum do-
ctrina consequi possit, ut etiam id consequatur, quod sententiæ Smi-
glecii, & similium, prorsus repugnat. Apostoli certè patrem a filio, fili-
um a patre, Spiritum sanctum ab utroque, & nominibus, quæ proprie-
tate, significatione, naturâ diversa sunt; & descriptionibus adeò evi-
dentibus ut quæ de uno dicantur, dici de alio non possint, discrimina-
verunt. Quamobrem fieri non potest ut his verbis: in nomine, unum
Deum, Patrem, filium, & Spiritum sanctum intellexerint; atque cum
Spiritui ea attribuerint, quæ personæ competere non possint, apparet
prorsus, cum tres nominarent, nunquam tres personas expressisse, ne-
2 Cor. 11. 31. que fideles ad eum modum docuisse. Patrem ab iis ad eum modum de-
1 Petr. 1. 3. scriptum videmus, quod Deus & pater sit Domini nostri Iesu Christi:
Luc. 1. 35. Filium, quòd conceptus sit e Spiritu S; natus è Maria virgine; aut quòd
Gal. 4. 4. factus sit è fœmina; quòd mediator Dei & hominum fuerit; a Iudæis
1 Tim. 2. 5. mortem crucis acerbissimam & ignominiosissimam nostri causâ per-
Act. 2. 35. & 36. tulerit; quod a mortuis excitatus & ad Dei dexteram collocatus, supra
& cap. 5. 30. omnia gloriosissimè sit evectus: ac judex tam vivorum quàm mortuo-
Ephes. 1. 20. 21, 22. rum definitus a Deo & constitutus; quod cum illi omnia subjecta fue-

rint, Patri

rint, Patri sit subjiciendus: Spiritum sanctum virtutem Dei, quæ a Deo
patre procedat, & de qua Deus in alios effundat. Ergo patet ea dici de
patre, quæ nec de filio, neque de Spiritu sancto; & ea de filio, quæ nec
de Spiritu sancto neque de patre; & ea de Spiritu sancto, quæ nec de pa-
tre neque de filio, ulla ratione dici queant; quod ipsum testimonio est,
nunquam Apostolos in uno Deo, tres esse personas sensisse, nec uspiam
indicasse. Conjunctionem porrò horum in baptismi hujus, de quo hoc
loco Matth. agitur, administratione, nihil habere virium ad demon-
strandam unam eandemque illorum essentiam, inferiùs, ubi ad eam rē
Smiglecio ex professo respondebitur, opem ferente Domino, demon-
strabimus. Ex his itaque perspicuum esse arbitror, num Smiglecius do-
cuerit, quod docendum susceperat; Apostolos trinitatis id est trini in
personis Dei dogma primò & ante omnia docuisse; cum ne unum qui-
dem testimonium, ex illorum literis protulerit, quod Patrem filium &
Spiritum sanctum esse tres in una Deitate personas, vel apertè doceret,
vel certè ex quo id colligi necessariò posset. Iam igitur, quid amplius
scribat attendamus.

Eam verò fidem, inquit Smiglecius, *deinde Christiani ab Apostolis e-*
docti in toto orbe prædicarunt, ut non solùm primorum illorum seculorum
Patres, sunt testes locupletissimi, quos citat Bellarminus, sed & Gentiles
ipsi, qui eam de Deo trino in personis Christianorum sententiam in suis scri-
ptis consignaverunt. Et in eam rem testem citat Lucianum.

At si fidem, de trino in personis Deo, Christiani ab Apostolis edo-
cti fuissent, certè hanc in Apostolorum literis, quas ad Christianos mul-
tiplices scripsêre, consignatam haberemus. Quàm crebrò quæ saluta-
ria sunt, iidem in literis suis inculcant; quam subinde eadem repetunt;
quam denique in iis, quæ non sunt magni momenti, uti de velandis in
cœtu piorum, fœminis, & similibus penè nimii sunt; rem tantam, tam 1 Cor. 11. 6.
sublimem, tam uti volunt aduersarii salutarem, toties invitante occasi-
one reticuissent? Quoties Apostolus Gratiam & pacem precatur a Deo
& Christo fidelibus; at de tertia Deitatis persona, altum apud eundem
silentium. Præcipio (inquit ad Timoth.) tibi coram Deo, vivificante
omnia, & Christo Iesu, testato coram Pontio Pilato illam bonam con- 1 Tim. 6. 13.
fessionem. Vbi est hac occasione illa tertia divinitatis persona, & Chri-
stus ab æterno ex essentia Patris genitus? Item obtestor coram Deo, & 1 Tim. 5. 21.
Domino Iesu Christo, & electis angelis, ut hæc custodias sine præjudi-
cio. Certè si de tertia persona divinitatis quicquam Apostolo constitis-
set, eam procul dubio Angelis electis præposuisset. Item, Testificor co 2 Tim. 4. 1. & 2.
ram Deo & Domino meo Iesu Christo, qui judicaturus est vivos & mor-
tuos, secundum apparitionem & regnum ipsius; prædica verbum &c.

Vbi in

Vbi in tanta occasione, tertia divinitatis persona, & Christus præterea (Apoc. 5. 12. & 13. & 7. 10.) nus? Huc spectant illi hymni in Apocalypsi, quibus sedentem in throno & Agnum qui fuit occisus celebrant; & sedenti in throno & Agno salutem attribuunt. Ex his itaque locis quemadmodum ex aliis infinitis constare arbitror, Apostolos iis occasionibus, Deum trinum in personis scriptis suis comprehensuros, & ad omnem posteritatis memoriam transmissuros fuisse, si a Christo Doctore & Magistro divino, eundem Deum didicissent; vel è Spiritu divino hausissent. Cum id ab iis esse factum non constet, perspicuum est, Christianos ab Apostolis fidē de trino in personis Deo, nunquam edoctos. Neque verò id Adversarii probarent, etiamsi ejus rei testes, Patres primorum seculorum haberent. (Act. 20. 29. & 30.) Etenim Apostoli ipsi viventes adhuc denunciarunt futurū; quod post discessum eorum ingressuri essent lupi graves, non parcentes gregi: & ex iis ipsis, quos vivos alloquebantur vivi, exorituros fuisse viros, qui perversa docturi essent, ut discipulos post se averterent & abducerent. Hoc verò factum fuisse, & reipsa impletum Egesippus, vir Apostolorum temporibus finitimus, referente Eusebio tradit, dum inquit: (Euseb. lib. 3. c. 32.) *Igitur ad ea usque tempora virgo pura & incorrupta mansit Ecclesia, iis qui sanum prædicationis canonem corrumpere conati sunt, si tùm aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine, ad idusque temporis delitescentib. Postquam autem sacer Apostolorum chorus, differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam ipsis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cepit, qui etiam, quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice contra veritatis prædicationem falsi nominis scientiam, ex adverso prædicare conati sunt.* Ergo cum è prædictione Apostolorum, cùm ex testimonio viri Apostolicis temporibus finitimi, (Eccles. hist. lib. 2. cap. 23.) quem primæ successionis Apostolorum tempore vixisse Eusebius scribit, appareat veritatem puram cœlestis & Apostolicæ doctrinæ, Apostolorū temporibus tantùm viguisse; hinc efficitur, veritatem Christianam non aliunde, quàm è monumentis Apostolorum esse petendam. Atque hoc idem vetustissimi quique Scriptores & ipsi agnoverunt, & in scriptis suis apertissimè docuerunt; quemadmodum luculentissimis eorum testimoniis, in responsionibus nostris contra Skargam, & Ioannem Gorscium demonstravimus. In præsens tamē Originē, qui apud Græcos pro doctissimo semper est habitus, & Hieronymum ac Augustinum apud Latinos præcipui nominis producemus. (Tractat. 26. in Matth.) Sic igitur Origenes: *Nemo uti debet ad confirmationem dogmatum, libris qui sunt extra canonisatas scripturas:* (In Epist. ad Gal.) Hieronymus: *Spiritus sancti doctrina est, quæ libris canonicis est prodita, contra quam, si*

quid statuant concilia nefas duco. Augustinus, in illa ad Hieronymum prolixa epistola: (Epist. 19.) *Ego fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam.* Et paulò post. *Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per illos authores Canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater* alloquitur Hieronymum, *sentire aliquid aliter existimo.* Hæc illi. Vnde manifestum est eosdem ipsos Patres apertissimè docuisse ex Apostolorum scriptis, non è Patrum testimoniis veritatem Christianæ fidei hauriendam & excipiendam esse. Quamobrem etiamsi sententiæ suæ de Deo in personis trino, testes primorum seculorum Patres haberent adversarii; eam tamen fidem Patres illos ab Apostolis edoctos, cum è scriptis Apostolorum aut Canonicis literis ea doceri non possit, nunquam probarent.

Verùm ne hoc quidem verum est, primorum seculorum Patres, eā quam ipsi profiteantur sententiam prodidisse. Nam Ignatius, Patrum apud Latinos quorum quidem scripta extant vetustissimus, apertissimè fatetur; (In Epistola ad Tars.) *quòd Christus, non sit ille qui est super omnia Deus, sed filius ipsius.* Iustinus etiam Christum, & *alium Deum præter universi creatorem;* (In Dial. cum Tryph. Iudæo.) *& ministrasse illi supermundano qui est super omnia, Deo,* permultis in locis, apertissimè testatur.

Irenæus etiam, *Iesum qui passus sit sub Pontio Pilato, esse Dominum omnium, & regem, & Iudicem, & Deum, ab eo qui est omnium Deus accepta potestate, quoniam subiectus fuisset, ad mortem, mortem autem crucis;* (Lib. 3. c. 12. contr. hæres. Valentin. & simil.) Idemque secundum divinam, ut adversarii loquuntur, naturam, *Christum extremum judicii diem ignorasse,* scribit. (lib. 2. cap. 48.)

Tertullianus etiam apertissimè in hanc sententiam ait: (Contr. Hermog.) *Et Pater Deus est, & Iudex Deus est, non tamen ideo Pater & Iudex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec Iudex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & filius non fuit, quod judicem, & qui Patrem Dominum faceret.* Item idem. *Pater tota substantia est, filius verò derivatio totius & portio: sicut ipse profitetur, Pater me maior est;* quod etiam in libro de trinitate copiosè persequitur, quemadmodum contra Gorscium locis ex eo libro productis ostendo. Origenes etiam multis in locis apertissimè idem profitetur, ita ut etiam Bellarminus vester, multas in filium Dei & Spiritum sanctum blasphemias illi exprobret; cujus testimonia, quemadmodum aliorum cū contra Gorscium produxerimus; eadem hîc repetendi caussa nulla videbatur. Denique Hilarius illa verba: (In li. 2. de trinit.) *Baptisantes eos in nomine Patris, filii &*

filii & Spiritus sancti, ita interpretatur, id est *In confessione Patris, unigeniti & doni*. Idem in 12 libris quos de trinitate scripsit, Spiritum sanctū nusquam Deum, vel divinitatis personam appellavit. Hæc & alia testimonia, quantopere vestram de Deo in personis trino sententiam, quemadmodum ab Athanasio exposita est approbent, quivis animadvertit; nec minus etiam id, an Bellarminus illam testimoniis primorum Patrum approbarit. Quid putas autem alios tum Christianos, qui temporibus istorum Patrum vixêre sensisse? Nec diffiteor Bellarminum, quædam illorum quos citavimus Patrum testimonia, mollire quibusdam exceptionibus conatum esse, sed quam illæ nihil efficiant, secundâ contra Skargam responsione, apertissimè demonstravimus. Quod verò ad Luciani testimonium attinet; miror hominis Ethnici & Christianæ religionis desertoris ac religionum omnium irrisoris; qui etiam ea quæ citat Smiglecius, ut ludibriis paganorum Christianam religionē exponeret, scripsit, tanquam testem, rei apud Adversarios tam sublimis productum. At cur non è Sabinorum mysteriis, testimonium ejus rei, quæ apud eos etiam ante Christum natum latuit, potius protulit? Certè id testimonium, & vetustate, & authoritate, quippe Sacerdotum unius populi, Lucianico longè fuisset præstabilius, ut ita Ethnicorum placitis & decretis, hanc suam de Deo sententiam approbaret.

Tertiò opponit nobis hymnum illum; Gloria Patri & filio & Spiritui sancto; quem fortius id evincere & in Ecclesia jam inde ab Apostolorum temporibus usitatum fuisse scribit. At quibus documentis id probat? Basilii testimonio? At paulò ante docuimus res fidei Christianæ, non nisi è scriptis Apostolorum petendas & iis stabiliendas esse. Basilius etiam, qui sub Valente Imperatore vixit, tot seculis ab Apostolorum temporibus abest. Qui igitur hac in parte ita firmum ejus testimonium, contra quod excipi nequeat, esse potest. Porrò quod addit, in Concilio Nicæno illam Appendicem contra Arianos additam, Sicut erat in principio, &c. ut Patres in Concilio Vasensi primo, paulò post Nicænum concilium celebrato testarentur; primum, Acta concilii Nicæni refellunt; quorum hac in parte major, quàm concilii Vasensis primi, in quo etiam duntaxat decemocto Episcopi coacti fuerunt, auctoritas; deinde concilium Vasense primum, non paulò post concilium Nicænum celebratum est, ut scribit Smiglecius; quippe quod sub Theodosio juniore illius Magni Theodosii nepote habitum referat Petrus Crabbe Monachus Frācifcanus, qui cōcilia universa in tomos redegit. At Theodosii junioris exordium in annum 408, finis imperii in annum 450 incidit, quod tempus ferè seculo, aut amplius distat a Concilio Nicæno. Postremò nihil tale in concilio Vasensi primo, quod scribit Smiglecius habetur: Verùm in concilio Vasensi secundo, cui novem numero Episcopi interfuêre, decretum est ut ista clausula, sicut erat in principio &c. in Ecclesiis eorum Episcoporum, qui illud concilium coêgerant, usurparetur. Caussa decreti, non ea affertur, quam adfert Smiglecius, acsi esset Appendix concilii Nicæni, sed mos & Apostolicæ sedis, & totius Orientis, Africæ, & Italiæ. Cujus concilii cum annus non sit notatus; apparet & obscurum admodum fuisse; & quanto a Vasensi primo temporum intervallo abfuerit; ejus rei Canones in eo decreti, tantum a prima vetustate distantes, sint documento. Quid igitur errorem, qui tot seculis post Apostolos exactis, in Ecclesiam illorum, more quodam irrepsit, tanquam argumentum doctrinæ Apostolicæ nobis opponit Smiglecius? At ego justius possem id opponere, quod extat in Missalib. eorum Cracovien. anno 1510. editis ubi ea sunt verba expressa: *Notandum quod omnis oratio dirigitur ad Patrem vel filium, nulla autem ad Spiritum sanctum. Quia Spiritus sanctus est donum, & a dono non petitur donum, sed a largitore doni. Unde ad Patrem & filium dirigitur oratio omnis doni datorem, & non ad Spiritum sanctum qui est donum.* Quæ verba priscæ veritatis exhibent vestigia, & docent istam de trino in personis Deo sententiam purioribus quondam seculis, nullum locum habuisse.

Pergit Smiglecius: *At non posse, ait, ostendi Apostolos aliquando baptisasse in nomine Patris, & filii, & Spiritus S. sed tantum in nomine Iesu.*

At neque hîc recitat nostra, quemadmodum oportet, Smiglecius. Nam ego nusquam scripsi, non posse ostendi, Apostolos in nomine Patris, filii & Spiritus sancti baptisasse, sed negavi aquâ baptisasse Apostolos, in nomine Patris, filii & Spiritus sancti, cum tantum in nomine Iesu Christi, vel Domini aquâ baptisasse legantur, quemadmodum Acta Apostolorum testarentur. At excipit Smiglecius: *Quasi verò baptisando in nomine Patris filii & Spiritus sancti, non baptisarent, in nomine Iesu: aut baptisando in nomine Iesu non baptisarent in nomine Patris & filii & Spiritus sancti. Cum enim baptisabant in nomine trium personarum, etiam in nomine Iesu baptisabant; & cum baptisabant in nomine Iesu, alias duas personas non excludebant. Observare enim tenebantur formam à Christo præscriptā baptisandi in nomine triū personarum.*

At enim si in illo baptismo apud Matth: qui in nomine Patris & Spiritus administrari jubetur, non est omissa filii mentio, eoque jure dici potest, in nomine Christi, qui filius est, baptismum illum administratum; certè in aquæ baptismo in nomine Iesu Christi conferendo cum nulla fiat mentio Patris & Spiritus sancti sed solius Christi, nomen Christi illa duo significare non potest, ac proinde in nomine illorum

lorum aquæ baptiſmus adminiſtrari nequit aſſeri. Nam quod ſcribit, Obſervare tenebantur formam à Chriſto præſcriptam; in hoc ſuo more, quemadmodum & in eo, quod Spiritum ſanctum perſonam ait, principium petit, dum verba hæc, ad aquæ baptiſmum refert: immò verò ex eo, quod Apoſtoli nunquam in nomine Patris filii & Spiritus ſancti aquâ baptiſarint, apparet, hanc aquæ baptiſmi formam, nunquam à Chriſto illis fuiſſe præſcriptam. At ſcribit *veriſimile non eſſe, Apoſtolos aut tam citò inſtitutionis Chriſti oblitos, aut ita negligentes fuiſſe, ut ne ſemel quidem eam executioni mandarent.* At cum ex Actis Apoſtolorum conſtet, Apoſtolos aqua neminem aliter quàm in nomine Ieſu Chriſti vel Domini baptiſaſſe; ex eo ſatis apparet, Baptiſmũ illum in nomine patris filii & Spiritus ſancti, non eſſe aquæ baptiſmũ; cum non modò veriſimile, ut Smiglecius ſcribit, verum prorſus neceſſarium ſit, Apoſtolos inſtitutionis Chriſti nec oblitos fuiſſe, nec illam ullo modo neglexiſſe. Etenim ſi vel obliti vel negligentes Chriſti inſtitutionis fuiſſent, nunquam certè tradita ab iis plenè orbi diviniſſima Chriſti religio fuiſſet. Quo inconveniente admiſſo, de fide, de ſpe credentium, & de ſufficientia, immò de veritate doctrinæ Apoſtolicæ actum eſſet.

Pergit: *Certè cum Paulus Epheſi inveniſſet diſcipulos, qui non ſolum Spiritum S. non acceperant, ſed neque ſi eſſet Spiritus ſanctus audiverant; admiratus ait: In quo ergo baptiſati eſtis? nempe ſignificans eos Spiritum ſanctum ignorare non debuiſſe, qui in nomine Spiritus S. baptiſati eſſent.*

At ſubducamus logicè Smigleciana: Quærit Apoſtolus ex diſcipulis illis in quid baptiſati eſſent? Ergò ſignificat eos Spiritum ſanctum in cuius nomen baptiſati eſſent, ignorare non debuiſſe: At quis non videt ea ponere in concluſione Smiglecium, quæ ex antecedente nulla ratione exculpi queant? immò quibus apertiſſimè contradicat, & antecedẽs, & ipſa rei geſtæ hiſtoria. Etenim ſi in nomẽ Spiritus S. baptiſati fuiſſent illi diſcipuli, nunquam Apoſtolo verè, nec audiviſſe ſe, an eſſet Spiritus S., reſpondiſſent. Cum ad eum modum reſponderint; & verè reſponderint; perſpicuum eſt, eos in nomen Spiritus S. nequaquam baptiſatos eſſe. Præterea cum illi, in baptiſma Ioannis, baptiſati fuerint, ut ipſi reſpondent; baptiſmus porrò ille, in nomen Patris filii & Spiritus S. à Chriſto inſtitutus fuerit, quem Smiglecius vult eſſe aquæ baptiſmi formam; apparet hos, qui in baptiſma Ioannis baptiſati fuerunt, nullo modo in nomen Spiritus ſancti quemamodum Smiglecius aſſerit, baptiſatos fuiſſe. Denique cum a Ioannis baptiſmate, ad baptiſma in nomen Domini Ieſu illos diſcipulos Apoſtolus deduxerit; apparet eos à profeſſione diſcipulorum Ioannis ad profeſſionem diſcipulorum Ieſu

Ieſu Chriſti traductos; Vnde verborum illorum ſenſus, *In quid baptiſati eſtis*, ſatis evidens eſt.

Pergit Smiglecius: *Cur igitur, inquies, dicuntur in Actis paſſim baptiſati in nomine Chriſti; ſcilicet quia baptiſmus ſpeciali quadam ratione Chriſti dicebatur, quia à Chriſto inſtitutus, mandatus, publicatus, &c.*

Ergò cum paſſim in nomine Chriſti, in actis baptiſatos ſcribat Smiglecius; agnoſcat ſe malè illa verba: in nomen Patris & filii &c. ad aquæ baptiſmum detorquere. Præterea baptiſmum aquæ, in nomine Chriſti adminiſtratum, quod à Chriſto inſtitutus mandatus & publicatus eſſet, ſcribitur à Smiglecio, at nulla fulcitur ratione. Immò verò cum Ioannes Baptiſta, ea re ſuum baptiſma, à Chriſti baptiſmate diſcernat; quod ille in aqua baptiſaret, Chriſtus in Spiritu baptiſaturus eſſet; apparet Chriſtum aquæ baptiſmum nec inſtituiſſe, nec mandaſſe, multò verò minùs publicaſſe. Illa quæ addit vice rationis; Hunc enim Chriſtus inſtituerat, docuerat, præceperat, &c. ratio non ſunt, ſed eorum quæ dixerat iteratio, ac mera nugatio.

Pergit Smiglecius: *Non igitur quærat Moſcorovius, ubi Apoſtoli in nomine trium perſonarum baptiſaverint; ſed oſtendat potius, ubi non baptiſaverint. Nos enim ubicunque legimus, Baptiſmum Chriſti, vel in nomine Chriſti, ibi intelligimus baptiſmum à Chriſto inſtitutum, in nomine Patris &c.* At enim vos aſſeritis, Apoſtolos in nomine trium, ut loquimini perſonarum baptiſaſſe. Hoc ego pernego. Ergò ſecundum Smiglecium, mihi probanda eſt negatio mea? Hoc quidem novum diſputandi genus eſt. Tuarum partium erat Smiglecj, qui argumentaris, rem quam nego probare, & à me, qui reſpondens ſum, partes argumentantis non exigere. Quanquam, etiam præter officium meum, ne hoc quidem ſine probatione dimiſi. Etenim dum Apoſtolos tantùm in nomine Chriſti, aquâ baptiſaſſe demonſtravi, ex eo, in nomine Patris, filii & Spiritus ſancti aqua non baptiſaſſe, planum feci. Nec obſtat, quod Smiglecius unà cum ſuis, quoties Apoſtolos in nomine Chriſti baptiſaſſe aqua legit, toties in nomine Patris, filii & Spiritus ſancti aqua baptiſaſſe intelligat; cum factum Smiglecii & ſociorum, nequaquam nobis præſcribere poſſit, qui divinas literas magiſtras nobis adſcivimus.

Pergit Smiglecius: *Addit inquit, Moſcorovius, in forma baptiſmi Patris quidem filii & Spiritus ſancti differentiam exprimi, at non unitatem Deitatis.*

At Smiglecius, aliter noſtra quàm ſcripta ſunt, recitat. Nec enim unquam ſcripſi, in forma baptiſmi Patris, filii & Spiritus ſancti differentiam exprimi; ſed in his verbis; in nomen Patris filii & Spiritus ſancti; mentio-

mentionem tantùm illorum fieri; unde efficeretur, eſſe Patrem filium & Spiritum ſanctum, at hos tres numero, in una eſſentia divina, diſtinctas eſſe perſonas, nullo modo; quæ oratio, multum abeſt ab illa quam Smiglecius recenſet; etſi & illa vera ſit & dum ita ſcribo, ad argumentum Skargæ reſpondeo, quod tamen Smiglecius ſupprimendum putavit.

Reſpondet Smiglecius: *At jam oſtendimus, unum horum trium nomen eſſe & unam deitatem. Neque enim baptiſamur niſi in Dei nomine. Quare cum in nomine Patris filii & Spiritus ſancti baptiſamur, Patrem, filium, & Spiritum ſanctum eſſe Deum oportet. Recteque à Sanctis Patribus obſervatum, nos non baptiſari in nominibus, ſed in nomine Patris filii, &c. quod trium perſonarum ſit unum nomen.* Atqui nos ſuperiùs docuimus, falſum eſſe, horum trium nomen eſſe unius Dei nomen, unam deitatem; Ratio quam ſuperius allatam hic repetit Smiglecius, quod non baptiſemur niſi in Dei nomen, eſt ipſiſſima principii petitio. Etenim cum baptiſati fuerint illi diſcipuli, quos Epheſi Apoſtolus invenerat, in baptiſma Ioannis, ut Græcus ſermo habet; cum quotquot in Chriſtum Baptiſati eſſent, in mortem illius baptiſatos Apoſtolus teſtetur; cum Iſraëlitæ in nube & in mari in Moſen itidem baptiſatos aſſerat; (hanc autem orationem, in Chriſtum baptiſari, tantundem valere atque in nomine Ieſu Chriſti, cum res ipſa, tum ſimiles loquendi modi, credere in Chriſtum & in nomine Chriſti, demonſtrant) rationem illam quod non baptiſemur niſi in Dei nomen, non incertam ſolùm, verùm etiam falſam eſſe apparet; ac proinde totum id, quod eidem rationi, tanquam baſi, ſuperſtructum volebat Smiglecius, ultrò ruit. Denique nonne aquæ baptiſma, confertur in nomine Ieſu Chriſti? Atqui quicquid agant adverſarii, circumciſo puerulo impoſitum nomen Ieſu, vocatum ab Angelo antequam in utero conciperetur: et Ieſum à Iudæis crucifixum, factum eſſe à Deo Chriſtum manifeſtiſſimè in divinis literis legimus. Nam quod, ad comprobandum, nos non niſi in Dei nomen baptiſari, illud quod Paulus Corinthiis exprobrat: aut in nomen Pauli baptiſati eſtis? ſuperius attulit Smiglecius; eam rem minimè probat. Gliſcebant in Eccleſia Corinthiorum diſſidia, dum alius Pauli, alius Cephæ, alius Apollo, alius Chriſti dici vellet. His illa opponit Apoſtolus; Nunquid Chriſtus diviſus eſt? nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? nunquid in Pauli nomen baptiſati eſtis? Vnde perſpicuum eſt, Apoſtolum Corinthios à diſſidiis, tùm quòd Chriſtus unus eſſet; tùm amore ipſius, qui mortem crucis, illorum cauſſa ſuſcepiſſet; tum illorum Chriſti profeſſione, quam ſuſcepto in nomine ipſius aquæ baptiſmo edidiſſent, avocare, & ad concordiam

Act. 19.
Rom. 6. 13.
1 Cor. 10. 2.
Ioan. 3. 18.
Luc. 1. 21.
Act. 2. 36.
1 Corint. 1. 13.

cordiam mutuam alendam exuſcitare conari. At quam vim hoc habet ad approbandum, nos non niſi in Dei nomen baptiſari? Immò verò cùm Paulus Deo gratias agat, quod paucos eorum baptiſârit; & rationem afferat, ne quis diceret eum in nomen ſuum baptiſaſſe; apparet vel ex eo, id quod aſſerit Smiglecius, conſiſtere non poſſe. Etenim reperiri potuiſſe è credentibus, qui de Paulo exiſtimarent, eum in ſuum nomen baptiſaſſe, cùm id veritus fuerit Paulus, veriſimile eſt; at extitiſſe credentium quempiam, qui Paulum propterea, quod in nomen ſuum baptiſaret, Deum ipſum eſſe, exiſtimaret, prorſus eſt incredibile. Deinde ſi baptiſmus aquæ, tantum opus eſſet, ut ex eo colligeretur divina eſſentia; cur Paulus ſcribit diſertiſſimè, ſe non miſſum eſſe à Chriſto ut baptiſaret? An ad eam rem, ex qua Dei nomen & eſſentia, ut vult adverſarius, prorſus colligeretur, ſcribere potuiſſet Paulus, ſe a Chriſto miſſum nō eſſe? Ad illam etiam obſervationē quorundā, quod hoc loco non *in nominibus*, ſed *in nomine*, a Chriſto dictum ſit, reſpondeo; me aduerſus Skargam docuiſſe, eſſe in loco apud Matthæum ellipſin; cùm hæc verba, *in nomine*, tam ad filium & Spiritum ſanctum, quàm ad Patrem referantur. Vnde quàm ſit nulla hæc obſervatio patet; & cum *in nomine Patris & Spiritus ſancti* idem valeat, ac in Patrē filium & Spiritum ſanctum, quàm nihili eadem ſit, cuivis manifeſtū eſt. Quæ cum ante oculos habuerit Smiglecius, cur nihil ad ea reſpōdit?

Redit rurſum Smiglecius ad illam, de Spiritu ſancto diſputationem, quam ſuperius paulò videbatur inſtituiſſe; & ſcribit: *Spiritus ſanctus* (inquit Moſcorovius) *nullibi in ſcripturis dicitur Deus.*

At Smigleci, occaſio iſtius dicti, quæ eſt reſponſio ad certum Skargæ argumentum, eratnė tibi reticenda? Sed hoc tibi familiare. Atqui multum intereſt inter reſponſionem, & aſſertionem aduerſarii. Sæpè enim reſpondendo incommodis urgemus aduerſarium, quæ ex ejus argumentatione conſequuntur, quę tamen nunquam pro noſtris agnoſcimus. Sed reſpondes, *At ne alia ſcripturæ teſtimonia commemorem, ea tantùm afferam, quæ a Petro Skarga Moſcorovio obiecta ſunt, a quibus ſe Moſcorovius expedire, quantumvis ſe in omnem partem verſet, non poteſt.* Quàm verè id de me aſſeveret, reſponſiones meæ aduerſum Skargam in publicum emiſſæ teſtantur; & ex his, quæ è Skarga ipſe repetit inferius, Domino opitulante, omnibus erit perſpicuum.

Scribit igitur; *Primum argumentum eſt, Spiritus ſanctus ita eſt in Deo, ut ſit increatus & coæternus. Eſt igitur Deus verus. Nam quicquid eſt in Deo, eſt Deus. Nihil etiam increatum & coæternum eſt præter Deum.*

At Smigleci, ſcribis me aſſeruiſſe, in literis divinis nuſquam Spiritum ſanctum dici Deum. Hoc igitur in quæſtione eſt; an Spiritus ſanctus in

ctus in literis divinis dicatur Deus. Hoc te etiam probare velle, illis verbis præ te tulisti: *At ne alia testimonia scripturæ commemorem, ea tantum afferam, quæ a Skarga Moscorovio obiecta sunt.* Argumentum ex mea exceptione a Skarga depromptum, estné sacrarum literarum testimonium? Deinde in hac tota de Spiritu sancto disputatione ne unum quidem testimonium profers, in quo dicatur Spiritus sanctus Deus. Quã igitur quæstioni, quàm promisso tuo satis feceris, cordati expendent.

Sed pergit Smiglecius; *Huic rationi opponit Moscorovius, Multa esse in Deo, quæ tamen Deus non sunt: Nã & propositum illud Dei.* 2 Tim. 1. *fuit in Deo ante tempora secularia; & attributa Dei sunt in Deo ab æterno, & tamen non sunt Deus, neque persona divina. Præterea lux illa inaccessibilis, in qua Deus habitat,* 1 Tim. 6. v. 16. *ab æterno fuit & increata, ut ex* Heb. cap. 12. v. 27. *colligi putat, & tamen locus ille sanctissimus Deus non est.*

At enim duæ hîc sunt propositiones; Prima est, quicquid in Deo, Deus est; altera, nihil esse coæternum & increatum præter Deum. Cum igitur ea, quæ ego opposui Skargæ disputanti, uni propositioni a me opposita non sint, ac ne opponi quidem ullo modo priori queat

1 Tim. 6. 16. lux illa inaccessa, quam Deum inhabitare Apostolus evidentissimè testetur; non debuit omnia nostra ad unam duntaxat propositionẽ, quam rationem vocat, referre Smiglecius. Sed audiamus quid afferat contra. Scribit igitur: *Sed errat turpiter Moscorovius, contra omnem Theologiam & rationem. Omnium enim Theologorum pronunciatum est. Quicquid in Deo est, Deus est.*

At, cum me turpis erroris Smiglecius, contra omnem Theologiam & rationem, condemnet; idque eò, quòd omnium Theologorum placitum sit; Quicquid in Deo sit, Deum esse; velim exponat mihi, quorum Theologorum placito, me erroris tanti condemnet? Prophetarumné an Apostolorum? Hos quidem verè Theologos, & solos, quorum placitis prorsus standum sit, agnosco. Ex his igitur si docuerit Smiglecius, quicquid in Deo est esse Deum; errorem agnoscam, atque etiam ultrò fatebor. At si alios in locum horum Theologorum substituat, sciat, me scholasticorum & Monachorum placitis, qui illi fortasse Theologi censentur, nullo legitimo jure, nulla æqua lege adstringi posse.

Sed pergit Smiglecius: *Nam si aliud sit, puta, quod in Deo est, quàm Deus, Dei accidens erit, aut modo accidentis Deo copulatum. A Deo autem accidens omne abest, omnis compositio* &c. At prius erat instantia mea de Dei decretis refellenda; tum hæc disputatio, si videbatur, instituenda. Certè decreta Dei quæ Skargæ opposui, fuisse in Deo, antequam in actum

actum venirent, hinc patet; quòd fuerint Dei actiones; at omnis actio est in agente. Fuisse etiam increata eadem Dei decreta, antequam illa Deus in actum deduceret, hinc liquet; quòd in Deo nihil creatum dari potest. At eadem, essentiam divinam non fuisse, hinc perspicuum arbitror, quod fuerint effecta essentiæ divinæ. At nihil prorsus idem sui ipsius effectum est, uti nec caussa. Alioquin involuere hæc contradictionem oporteret.

Pergit. *Quapropter Moscorovius, si divinas proprietates ita esse in Deo putat, ut non sint Deus, fateatur oportet esse Dei accidentia; quod ita absurdum est, ut omnem entis infiniti & actus puri rationem evertat, & cum Dei simplicitate & perfectione consistere non possit. At donandus est hic error Moscorovio, utpote qui res Theologicas ne a primo quidem limine salutarit.*

At unde colligit Smiglecius, me proprietates Dei ita in Deo putare, ut non sint Deus? Nihil usquam scripsi, unde quid ejusmodi exprimi possit. Verba mea argumento sunt, in responsione ad argumentationem Skargæ, quæ sic habent: *Nolim commemorare proprietates Dei, quæ certè semper in Deo fuerunt, & sunt; nihilominus tamen nullam proprietatum divinarum esse Deitatis personam affirmabit unquam ipse Skarga, quemadmodum Spiritum sanctum ex eo, quod eum in Deo agnoscam, esse vult Skarga personam.* Quid igitur ex his aliud colligi potest, quam proprietates Dei, ut ut in Deo sint, non esse Deitatis personas, quod ipse etiam fatetur Smiglecius? Viderit ergò D. Doctor, quo jure illud mihi impegerit, quod è verbis meis elici non possit; ac etiam erroris propterea damnandũ censuerit, & mihi hunc errorem condonandum, tanquam ei, qui, ut scribit, ne a limine quidem res Theologicas salutarit. At verò non indulgentiâ hîc ullâ, in errore condonando, sed veritate & fide D. Doctoris opus erat; ne mihi falsò affingeret, quæ è verbis meis exprimi nulla possunt ratione. Nam quòd scribit, me res Theologicas, ne a limine quidem salutasse: id quidem in me auditore cœtus nostri gregario, & uno ex numero & cẽsu nobilitatis, quam Skarga ipsius collega rudem appellare non dubitavit, ferendum videatur; at falsa manifestissimè objicere adversario, & propter eadem erroris condemnare adversarium, & omni rerum divinarum cognitione abjudicare, an hoc in Theologo Doctore ferendum sit, cordati judicent. Me quidem quod attinet; si per res Theologicas, D. Doctor, veritatem religionis Christianæ, a divinis scriptoribus in sacris literis nobis traditæ, intelligat; hanc me Dei beneficio, cui propterea soli & Christo ejus sit honor & gloria, longè melius tenere, ipso D. Doctore, ne tantillum quidem ambigo; sin per res Theologicas scholasticorũ & Monachorũ quorum

quorundam placita designet,ultrò illi hac possessione cedo. Quāquam hæc etiam mysteria, nō adeo sunt abdita,ut non iis pateant,qui velint.

Pergit Smiglecius: *Legisset saltem Divum Ioannem,qui in prima sua Epistola* cap. I. *docet: Deum esse charitatem; Deus,inquit,charitas. Si enim Charitas, quod est Dei quoddam attributum, ita est in Deo, ut sit ipse Deus,cur idem de cæteris attributis non credamus?* At primum non cap. I. ut scribit D. Doctor, sed quarto epistolæ suæ primæ scribit Ioannes,Deum esse charitatem. Hæc igitur ad quæ me relegat D. Doctor, apparet mihi lecta fuisse. Porrò Deum eò charitatem a Ioanne dici,
a Ioh. 4. 8. 9. 10. quòd nostri caussa miserit filium, ut per eum vitæ illius beatæ participes essemus,ex sequentibus apud Ioannem verbis manifestissimum est: *Deus*,inquit Ioannes, *charitas est. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum Deus misit in mundum, ut vivamus per eum.* At hæc Dei erga nos charitas, ut beneficentissimæ, ita liberrimæ ipsius voluntatis opus est. Opus verò liberrimæ voluntatis Dei,nequaquam per naturam Deus est. Vt igitur hanc charitatem de qua agimus attributum Dei esse non dubium est, ita attributum esse Dei essentiale, aut eam Deum per naturam esse, uti vult Smiglecius, nunquam idem probabit. Nam quod etiam ex charitate colligit,idem esse de aliis attributis Dei credendum,quod Deus sint,decipi videtur. Nec enim attributorum Dei omnium par ratio est. Attributa Dei essentialia ea sunt, sine quibus nunquam fuit Deus, nec esse potest: at sine aliis quæ attribuunt divinæ literæ Deo,fuisse Deum non dubium est. Quod judex & vindex scelerum sit Deus, attribuunt sacræ literæ Deo, an igitur hæc attributa,essentialia Dei attributa statuet Smiglecius? Certè id si verum esset, Deus, qui contra sua attributa essentialia, nihil prorsus agere potest,nunquam cuiquam peccatori quicquam ignovisset, quod tamen ipsum facere & fecisse divinæ literæ testantur, & res ipsa. Adde quòd hæc in Deo,nec locum semper habuêre,neque sunt habitura. Nam nec ante delictū vindex esse potuit, uti hoc idem Tertullianus contra Hermog. scriptor vetustissimus & pariter doctissimus animadvertit; nec extinctis delictis,in illo extremo die,judicis partes,est ampliusobitur*.

Pergit Smiglecius: *Porrò ex eo non sequitur,quod Statorius opponit, tot futuras in Deo personas,quot attributa. Vt enim quod est in Deo idem sit cum Deo, divina simplicitas facit,ut verò idem sit specialis persona,origo & processio requiritur. Cum igitur in Deo duæ solùm origines & processiones inveniantur, una verbi divini, alia divini amoris,duæ quoque erunt personæ procedentes, persona filii & Spiritus sancti. Alia porrò attributa nullam processionem & originem in Deo involvunt, quare ita in Deo sunt,ut non sint personæ.*

At si Spi-

At si Spiritus sanctus eò deitatis persona, a vobis extruatur, quod in Deo sit; quemadmodum aduersus me Skarga est argumentatus, tum necessariò tot personas in Deo fore, quot Dei attributa essent, rectissimè opposuit Statorius. Etenim verisimile est,ad eum modum excepisse Statorium. Nec enim ubi hæc scripserit, locum annotavit Smiglecius. Porrò universè acceptum, quicquid in Deo esset, esse Deum; non verè scribi superius docuimus. Neque verò hoc simplicitati divinæ quicquam derogat. Libertas decernendi in Deo, quicquid velit,illius simplici essentiæ nihil detrahit; immò eam asserit: Qui nisi decerneret liberè,non esset agens liberrimum,ac proinde summum omni ex parte & simplicissimum. Porrò id quo exceptionem Statorii repellit; *specialem originem & processionem ad personam constituendam requiri*, quàm verum sit, vel ex eorum dogmate liquet. Etenim Patrem personam fatentur; ad patris tamen personam constituendam nullam specialem originem vel processionem requiri, ipsi necesse est agnoscant; cum a nemine oriri, a nemine procedere patrem ipsi fateantur. Deinde probandum id quoque est, duas duntaxat origines & processiones in Deo dari,cum ex eorum dogmate,tres activas, totidem passivas dari sit necesse. Nam generare patrē, generari filium; Spirare Patrem,spirare item filium; & procedere Spiritum sanctum tam a Patre quam a filio oportet. Hæc vero,quàm illi omni ex parte perfectęDei essentiæ,dextrè conveniant, prudentissimorum & rerum divinarum peritissimorū judicium esto. Porrò ex iisdem constare arbitror, an Smiglecius exceptionem Statorii attigerit, nedum summoverit.

Sed summum meum & gravissimum errorem jam detegit Smiglecius. Sic enim scribit: *Iam & ille error Moscorovii quantus est, cum existimet aliquid æternum & increatum esse, quod Deus non sit. Quod enim increatum est, ex se est: quod ex se est infinitum est & illimitatum; non habet enim à quo limitetur. Quod autem ens simpliciter infinitum est, Deus est: cùm neque maius quid esse possit ente infinito, nec Deo plus tribuere possimus, quam quod ens infinitum sit.* Perpendamus igitur hunc meum tantum errorem. Nego quod æternum, & increatum sit, ex se esse: quod veluti basin, & suæ disputationi, & demonstrando errori meo, subjecit Smiglecius. Smiglecii enim ipsius dogma, istam basin evertit. Etenim filium, quem Patri ὁμοούσιον volunt, æternum & increatum esse ajunt, eundem tamen ex Deo esse fatentur: Sic enim eorum Symbolum habet; Deum de Deo &c. Quamobrem ex dogmate Smiglecii falsum est; quicquid æternum & increatum sit, ex se esse. At ex rei veritate, idem falsissimum est; Spiritus sanctus increatus & æternus est; & tamē idem ex se non est. Nam è Patre procedit,uti testantur lite-

ræ divi-

næ divinæ apertissimè. Eversa igitur basi Smigleciana; cætera quæ affert, nihil ad rem præsentem faciunt: quæ tamen speciosius quàm verius à Smiglecio disputari, ii forte docerent, qui materiam primam æternam volunt, quos nõ leviculis rationibus, aut infirmo fundamento, aut cui sacræ literæ uspiam adversentur, niti fatebuntur ii, qui scripta veterum & Neotericorum ea de re penitus inspexêre. Sed hæc nihil ad institutum faciunt. Illa non videntur prætereunda, quæ scripsit Smiglecius: Nihil Deo majus attribui posse, quã quod ens infinitũ sit. Etenim Deo nihil majus attribui, quod quidem nobis divinitùs patefactũ sit, videtur, quàm quod Altissimus, potentissimus, sapientissimus & idem optimus & sempiternus sit. Quem præterea literæ novi Fœderis eâ potissimum re celebrant; quod Deus & Pater sit Domini nostri Iesu Christi. Porrò Deum esse ens infinitum, núsquam fortasse sacræ literę docent; toties id inculcaturæ, si verum esset, quod asserit Smiglecius, nempe Deo nihil majus tribui posse, quàm quod ens essentia infinitum sit.

Sed pergit; *Quod verò exempli loco adducit lucem illã inaccessibilem, quam Deus inhabitat; tam crassus est Moscorovius, ut existimet lucem quandam ad modum loci Deo circumfusam, quasi Deus pro loco luce egeat; et non potius sit lux illa inaccessibilis, de qua scriptum est, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.*

At, Smigleci, Apostolus homo divinus, disertissimè testatur, Deum inaccessam lucem inhabitare. Ergo crassus ego, qui divinæ revelationi assensum præbeo? An divinæ revelationi præstant hominum commenta? Sed me oppugnat rationibus. At quibus? Prima est; *Quasi Deus pro loco luce egeat.* At si, quod ea de re ab Apostolo divinitùs patefactum sit, à me refertur, num hinc Deum lucis egere pro loco colligi potest? Nõ eget quidẽ pro loco, luce Deus; sed nobilissimum & perfectissimum ac summum ens, non carere Majestate sibi convenienti, & Apostolus testatur, dum lucem inaccessam inhabitare Deum tradit; & ratio suadere videtur. Secunda est; *quòd Deus ipse potius sit lux illa inaccessibilis.* At Apostolus ait; Deum lucem inaccessam inhabitare: Inhabitans verò lucem inaccessam, non est ipsa lux inaccessa; nisi hæc contra omnem rationem confusa velit Smiglecius. Nam quod è Iohanne docet ipsum Deum esse lucem; primum Ioannes non dicit esse Deum illam lucem inaccessam, quam Deum inhabitare Paulus nobis patefecit. Quamobrem locus Ioannis nihil ad rem Smiglecii facit. Deinde quo sensu in loco Ioannis dicatur Deus lux, ex ipso Ioanne patet: Sic e-
1 Ioh. 1. 5. 6. 7. nim Ioannes: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem cum eo habemus, & in tenebris ambulamus, mentimur, &*

mur, & non facimus veritatem, si autem in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus ad invicem. Vnde patet in luce esse, in luce ambulare, dum de nobis dicitur, apud Ioannem, nihil aliud esse, quam justè & sanctè agere; ita dum de Deo dicitur apud eundem; Deum esse lucem, & in luce esse; nihil aliud designari, quàm Deum sanctum & justum esse; & ad eius societatem non aliter nobis aditum patere, nisi depositis omnibus tenebris, id est relicta omni pravitate, *justè* & sanctè vixerimus. Quanquam & Deus lux dici potest, quemadmodum Christus lux dicitur, quod illuminet omnem hominem: quod etiam animadversum est Origeni scriptori vetustissimo nec non doctissimo. Lux, inquit, Deus nominatur, translatione sumpta, à luce corporea, ad invisibilem & incorpoream lucem, propter vim illuminandi oculos intelligibiles. At quid ex his metaphoris eliciet Smiglecius? Certè ne id quidem, Deum esse per naturam lucem. Atque ut id evincat, non tamen obtinebit, Deum, qui lux sit, propterea lucem inaccessam non habitare. Quid enim id prohibet? Certè hic nulla dari potest, aut ostendi contradictio, nullum inconveniens. At ego si verba urgerem; etiam ex verbis ipsius Ioannis, non tamen ex eorum sententia, Deum esse in luce, evincerem.

In Evang. Iohan. com. 14. super illa verba; Deus spiritus.

Sed pergit Smiglecius; *Dicitur autem Deus nostro loquendi more, in luce habitare, quia ipse lux sit inaccessibilis, quam nemo hominum vidit, sed nec videre potest.*

At primum erat docendum, id nullo modo fieri posse, ut locus Apostoli, uti verba sonant, intelligeretur; tum demum quid sibi velint ea, quæ Apostolus scripsit, explicandum. Porrò explicatio Smiglecii eo ipso non admittenda videtur, quod nullo modo verbis Apostoli congruat; Apostolus enim ait; Deum lucem inaccessam inhabitare; Smiglecius Deum lucem hanc inaccessam vocat.

Pergit; *Si lux extra Deum sit, quæro num quid Deo minus, an æquale. Si minus, non erit increata &c. Si par & æqualis, erit Deus; nihil enim æquale Deo quod non sit Deus.*

Habitare dicitur lucem inaccessam Deus. Ergo intra ipsã Dei essentiam lux illa non erit. Nec enim inhabitans cum eo, quod inhabitat, reipsa idem est. Porrò *minorem* non esse Deo lucem illam, hinc patet; quod à Deo habitari non posset, si minor esset. *Æqualis* si concedatur, non sequitur eam esse Deum. Nec enim ea æqualitas omnimoda est. Nã si æqualitas omnimoda daretur in re quapiã, res illa esset Deus; quippe Deo uni per omnia æqualis. At quemadmodum Deum alium existere, præter Chtisti patrem, ἀδύνατον prorsus est; ita omnimodam in re aliqua illi Deo dari æqualitatem. Porrò ex æqualitate quadam cum Deo, nihil ali-

nihil aliud sequitur, quam rem illam, ex parte Deo æqualem esse. Credentes erunt æquales olim Deo ratione immortalitatis, & vitæ nullum finem habituræ; sunt nunc Angeli boni. Num propterea vel hi nunc Deus, vel illi futuri?

Pergit Smiglecius; *Denique in cœlesti illa Hierusalem, in qua Deus conspicitur, describit S. Ioannes in Apoc. 21. ℣. 23. nullam aliam lucem conspici præter Deum; & civitas, inquit, non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna eius est agnus. Certè si in illa civitate cœlesti Deus videtur, multò magis lux illa, si esset, videretur. Neque enim magis invisibilis & inaccessibilis quam Deus. Sed facessant hæc vappa fumidi capitis figmenta.*

At Smigleci, visio hæc Ioannis, futuræ Hierosolymæ statum, id est piorum conditionem describit, quæ inter cætera, ex eo laudatur, quod nec sole nec Luna sit opus habitura civitas illa; quippe quam illuminaturus sit. At nos hîc non de statu piorum, sed de Domini ipsius Maiestate & luce inaccessa, quam inhabitet perpetuò, quærimus. Nec verò ex eo, quod illuminaturus sit Deus civitatem illam futuram, sequitur, nullam aliam lucem illic vel visam vel conspectam ei præter Deum, cum addat Ioannes lucernam illius etiam agnum fore; ac ne id quidem, lucem illam inaccessam Deum non habitare. Nec enim tum aliud ea visione repræsentari Deus Ioanni voluit, nisi quæ piorum felicitas esset futura. Sed cum facessere jubeat D. Doctor vappa (ut loquitur adiectivè, an satis latinè ipse viderit) fumidi capitis figmenta, authoritati tantæ concedendum est.

Pergit & ait: *Porrò locus ad Heb. c. 12. ℣. 27. in quo Paulus memorat quædam mobilia & facta; alia immobilia & regnum immobile, nihil facit ad hoc commentum.*

Quid ita? Quia Paulus, ut ait, *mobilia eo loco vocat legem veterem* &c. *His verò mobilibus opponit immobilia, id est legem Evangelicam. Et hoc sensu legem Evangelicam vocat regnum immobile, hoc est, quod nunquam mutabitur* &c. At verba hujus divini scriptoris sic habent eodem capite 12. v 27. *Cujus vox terram movit tunc, nunc autem denunciavit dicens: Adhuc semel ego moveo non solùm terram, sed & cælum: illud autem semel, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant non mobilia.* Si igitur per hæc immobilia, intelligit legem Evangelicam solam idem scriptor divinus, uti vult Smiglecius; doceat publicato Evangelio, id impletũ esse; a Deo non solùm terram, verumetiam cœlum esse commota; & per hanc commotionem hæc mobilia, ceu facta sublata, ut immobilia illa manerent. Quod si docuerit, tum demum

demum, me in allegando præsenti testimonio aberravisse, pronunciare eidem licebit.

Pergit porrò Smiglecius, & quædam de Spiritu Dei & spiritu hominis, per collationem quandam scribit, quæ cum nihil faciant ad quæstionem, non excutio. Illa quæ subiicit; Spiritum sanctum ita esse in Deo ut sit Deus, immò & persona divina, propter specialem originem, & ratione originis subsistentiam, quæ personam in Deo constituit; superius esse falsa demonstravimus; cum ad personam constituendam, non specialis origo, aut ratione originis subsistentia, sed natura personæ, quæ est individua substantia intelligens, requiratur. Deinde quod scripserim, in literis divinis tradi, Spiritũ sanctum esse in Deo, at non Deum in Spiritu sancto, eoque Spiritum sanctum non esse personam; ille respondet, me non aduertere, *Spiritum sanctum esse cum Deo unius essentiæ. Quorum autem est communis essentia, ea in se ipsis mutuò inexistunt: Ratione igitur communis essentiæ omnes tres personæ sunt invicem; Quare & pater in filio & Spiritu sancto, & Spiritus sanctus in utroque.* At demonstrandum Smiglecio fuit: In sacris literis traditum divinitùs, Deum esse vel manere in Spiritu sancto: ad eum modum ictum repulisset; quæ affert, ictum non repellunt, ac neque consistere possunt. Nam personas dari, quæ communem habeant primam essentiam, & eas propterea mutuò in se ipsis inexistere, prorsus involvit contradictionem; cum persona sit ipsa individua essentia seu substantia intelligens. Individuum autem prorsus incommunicabile est, nec cuiquã inexistere potest; cum inexistere sit vel accidentium, vel secundarum substantiarum. Quamobrem falsissimum est, ratione communis essentiæ, patrem esse in filio & Spiritu sancto, & Spiritum sanctum in utroque. Occasionem erroris mei quod explicat Smiglecius; priùs error demonstrandus, quàm occasio illius explicanda fuerat. Errore non demonstrato, occasionem illius exponere, est inanem operam sumere. Hoc autem, quod error est Smiglecio, est ipsissima veritas, ut ex tota hac disputatione perspicuum, Domino opem ferente, est futurum.

Pergit Smiglecius: *Secundum argumentum est, Spiritus sanctus nos regenerat in baptismo, & salutem tribuit. Est igitur verus Deus. Solus enim Deus est prima salutis nostræ causa.*

Respondeo, quemadmodum & Skargæ respondi: falsum esse, in baptismo Aquæ Spiritum sanctum nos regenerare, & salutem nobis tribuere. Nec enim usquam in literis sacris, baptismo aquæ promissus aut astrictus Spiritus sanctus legitur, ac proinde nec ejus virtus aquæ baptismo ita alligata, ut salus per aquæ baptismum conferatur. Quod autem a me id summa te meritate negatum scribit, & se infra refutaturũ pollicetur;

cetur; quàm dextrè promissi fidē curaturus est, infra videbimus. Nec verò
ex eo, quod spiritus regeneret, & salutem tribuat, efficitur, Spiritum S.
esse Deitatis personam; cum dici possit Spiritum sanctū efficere, quod
Deus per eum perficit: quemadmodum quæ Spiritus hominis efficit,
Rom. 1.16. homo per spiritū efficere censetur. Qua ratione Evangelio etiam ef-
1 Petr. 1.23. fecta quæ Dei sunt, divinæ literæ attribuunt. Illa etiā collectio Naziā-
zeni quam sit firma, cum ex superioribus perspicuū est, tum ex eo, quòd
2 Petr. 1.4. sacræ literæ idem divinis promissis tribuant, nos per illa divinæ factos
cōsortes naturæ. Solū porro Deum esse primam salutis nostræ caussam,
ut extra controversiam est: ita Spiritum sanctum esse primam salutis
nostræ caussam absolutè, Smiglecium probare non posse, ex iis, quæ
disseret inferius, uti reor, patebit.

At scribit Smiglecius: *Nunc solum urgeo, Spiritum sanctum non ut
instrumentum ad nostram regenerationem concurrere, sed ut caussam præ-
cipuam, cum æquè in nomine Spiritus sancti ac in nomine Patris bapti-
semur, ut ante demonstravimus.* At cùm Smiglecius de aquæ baptismo
hæc verba accipiat, cui ille perpetuò regenerationem attribuit, non
sentit, dum id a me prorsus negatur, a se principium peti, cum instat,
Spiritum sanctum in aquæ baptismo, ad regenerationem concurrere?
At quod etiam addit, *tanquam caussam præcipuam*; unde natum est? Id
quidem in Christi verbis non habetur. At ille ex eo, quod in Spiritus S.
nomine baptisare jubentur Apostoli, colligit, æquè eos in Spiritus san-
cti ac Patris nomen baptisasse. Atqui ex eo, ubi quid de Spiritu sancto
quemadmodum de Deo Patre enunciatur, æquè hoc de Spiritu sancto
atque de Deo Patre accipiendū esse, colligi nequit. De Mose dicitur in
literis sacris eum eduxisse populum Israël ex Ægypto: dicitur idem de
Exod. 14. v. ult. Deo; & credidisse etiam in Deo Israëlem & in Mose servo ejus; & ti-
1 Reg. 2. muisse populum Deum & Samuelem, sacræ literæ testantur; num hæc
quæ de Mose & Deo, de Deo & Samuele eodem modo dicuntur, æque
ad Mosem, Samuelem, uti ad Deum pertinebunt? Quamobrem nec il-
la, quæ de Spiritu sancto, modo, quo de Deo Patre, simili enūciata sunt,
eodem prorsus modo accipi debent: cū Spiritus sanctus Dei Patris spiri-
tus sit, quem ille in administrandæ salutis nostræ ratione, pro arbitrio
suo exerat, & de eo, pro beneplacito suo in alios effundat. Vnde etiam
perspicuum est, Deum Patrem, qui pro arbitrio & beneplacito suo, o-
mnes partes salutis nostræ peragat & perficiat, solum esse primam &
præcipuam salutis caussam. Quare aliam caussam salutis nostræ primā
& præcipuam, nequaquam posse dari planum est.

Pergit: *Tertium argumentum: Si Spiritus sanctus non est Deus,
neque Pater erit Deus, siquidem parem cum Patre habet virtutē, ad nos
sanctifi-*

sanctificandos. Æquè enim in nomine Patris, filii & Spiritus S. baptisamur.

Hoc loco recitat responsionem vel exceptionem meam, quam
Skargæ dedi: Ex eo, dum quis ad aliquem effectum cum Deo concur-
rit, non sequi, cū esse Deum; sic Angelus & Moses cooperati sunt Deo, in
liberando populo Dei ex Ægypto. Sic Iudic. 7. Gladius Iehovæ & Ge-
deonis, dicitur. Sic Paulus 1 Cor. 9. v. 22. aliquos dicit servare se: neque
propterea tamen hi Dii; Deus enim ex se habet virtutem, alii ex Deo.
Huic exceptioni meæ, ita respondet Smiglecius: *Sed errat toto cælo Mo-
scorovius; non enim ex quacunque operatione inferimus Spiritum san-
ctum Deum: sed quod æquè Spiritus sanctus sit prima caussa salutis, ac san-
ctificationis nostræ, cum æquè in nomine Patris filii & Spiritus sancti
baptisemur in salutem.*

Vt nihil de baptismi significatione dicam, nego antecedens consi-
stere posse; cùm ob ea, quæ paulò ante disseruimus; tùm quòd plures
caussæ primæ ad unum opus concurrere nequeant. Alioquin prima
caussa, non esset prima, quod involveret contradictionem. In bapti-
smi, de quo Matth: 28. agitur, sanctificationis, & salutis negotio, prima
causa, pater est absolutè, extra omnem controversiam. Ergo Spiritus
sanctus istius baptismi, sanctificationis, & salutis, absolutè prima causa
censeri non potest. Huc faciunt illa, quæ superius attulimus: Patrem in
sanctificationis nostræ, salutis, ac proinde baptismatis salutaris opere,
Spiritum sanctum exerere pro arbitrio. Vnde cum a voluntate Patris
pendeat, perspicuum est, illorum spiritum sanctum caussam primam
absolutè, non posse haberi. Quæ scribit, in cujus nomine baptisamur,
eum esse primam salutis caussam, ex his quæ disseruimus, apparet esse
falsa. Baptismum porrò aquæ, esse sacramentum salutis, asseritur a Smi-
glecio, non probatur: qua de re inferius. Iam illa quæ asserit, *convenire
causæ primæ, ut in eius nomine agatur; caussæ verò secundæ non con-
venire, agere suo nomine*; consistere nequeunt. Nam & caussa secun-
da, nomine suo ea potest agere, quorum sit absoluta penes eam pote-
stas, a prima caussa concessa. Quod adeò verum est, ut etiam servator,
missurum Patrem Spiritū, in nomine ipsius, asseverare non dubitarit. Ex Ioh. 14. 26.
his igitur apparet, Smiglecium pro testimoniis divinis, argumenta ê P.
Skarga repetita nobis obtrudere conatum fuisse, quemadmodum su-
perius monuimus, quibus Spiritum sanctum Deum demonstraret.
Quibus quid tandem profecerit, cordatus lector, responsionibus meis
lectis, dispiciet. Illudquoque prætereundum non est, Smiglecium ne id
quidem, quod erat controversum, istis argumentis concludere conatū
fuisse. Nam controversia inter nos est, non de Spiritus sancti divinita-
te simpliciter, sed an sit Spiritus sanctus divina persona. Etenim qui es-

 sentialis

ſentialia Dei attributa Deum volunt, iidem Spiritum ſanctum eſſe Deum, eodem ſenſu agnoſcunt, at non Deitatis perſonā. Nunc ad demonſtrandū, nos effectus baptiſmi penitus negare, accedit. Scribit igitur: *Iam quod ad effectum baptiſmi attinet, eum penitus iſti novi Ariani negant, nullamque aliam virtutem Baptiſmo concedunt, niſi ut ſit cæremonia, quâ homines Chriſtum pro Domino agnoſcant.* Cum baptiſmo aquæ id concedamus, quod illi attribuunt ſacræ literæ, negemus porrò effectum, quem illi cum ſuis affingit Smigleciꝰ, ecquod hic inconveniens?

Pergit Smiglecius: *Immò in ſua Catecheſi Racoviana ajunt: Adultos aquâ regenerari poſſe, tantum à veritate abeſſe, ut etiam videatur quippiã idololatriæ ſimile, cum rei materiatæ hoc aſſcribitur, quod Deo & ſacro eius verbo aſſcribendum eſt; Deus enim nos genuit, verbo veritatis ſuæ Iac.* 1.18. *& ſemen illud non corruptibile ſed incorruptibile, quo nos generari oportet, eſt verbum Dei vivum inæternum perſeverans.* 1. Petr. 1.22. *Hæc illi contra omnes ſcripturas & omnem veritatem effutiunt.*

Videbimus paulo inferius, jurène an injuria nobis hæc objiciat adverſarius. Sic igitur ait: *Quid enim clarius in ſcripturis, quam baptiſmo aquæ ſalutem, peccatorum ablutionem, regenerationem tribui?*

Atqui nullum locum, è ſacris monumentis proferet, nullum teſtimonium producet, in quo extet, aut ex quo effici poſſit neceſſariò, quod tantâ confidentiâ Smiglecius aſſerit.

Pergit: *Chriſti verba ſunt, neque poſſunt ulla tergiverſatione eludi: Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit. Non igitur ſoli fidei, ſed & baptiſmo ſalus tribuitur &c. eademque ſalus, baptiſmi & fidei effectus.* Agnoſco Chriſti verba, quæ revereor; abſit ut elevare vel eludere coner; verùm in iis de aquæ baptiſmo agi pernego. Etenim cum multiplex ſit in divinis literis baptiſmus, uti ſuperius docuimus, non illicò ubi baptiſmi fit mentio, aquæ baptiſmus intelligendus eſt, niſi id circumſtantiæ loci evidentiſſimè, & univerſa ſacrarum literarum analogia docuerit. Quare tribuitur fidei & baptiſmo in Chriſti verbis ſalus, at non aquæ baptiſmo, quod Smiglecio demonſtrandum fuerat.

Secundo, 1. Petri 3. idem probare vult, *Sicut in arca Noæ octo animæ ſalvæ factæ per aquam; ita & nos ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma.*

At idem locus Petri, ſi afferatur integer, ſententiam Smiglecii tantum abeſt ut confirmet, ut etiam refellat: Sic enim Petrus: *Baptiſma nos ſalvos facit, non carnis ſordium depoſitio, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti.* Ergo hoc baptiſma, quod Petrus non depoſitione ſordium carnis, ſed bonæ conſcientiæ in Deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti, interrogatione ſeu ſtipulatione deſcribit, nos ſervat. At aquæ baptiſmus quem depoſitione ſordium car-

dium carnis Petrus deſcripſiſſe videtur, ut abluere ſordes carnis, atque ſic deponere poteſt, ita bonæ conſcientiæ in Deum, per Ieſu Chriſti reſurrectionem, interrogatio nec eſt, neque eſſe poteſt.

Tertiò affert: *Quam verò,* inquit, *dilucidè peccatorum ablutio baptiſmo tribuitur.* Act. 22.15. *Baptiſare, inquit Ananias Paulo, & ablue peccata invocato nomine Domini Ieſu. Quibus ſanè verbis, monet Paulus, ut baptiſmo abluat peccata ſua &c. quod quid aliud eſt, quam baptiſmo peccatorum ablutionem aſcribere?* At enim dicit Ananias Paulo: *Baptiſare & ablue peccata tua invocato nomine Domini Ieſu,* Ergo cum abluere peccata Paulum invocato nomine Domini Ieſu, jubet; dilucidè aquæ baptiſmo, peccatorum ablutionem non tribuit. Baptiſari autem eum etiam aqua jubet, ut Ieſum Dominum ſuum & Chriſtum profiteretur, cuius antea infeſtiſſimus hoſtis fuiſſet.

Pergit Smiglecius: *Falſum eſt enim quod Catecheſis Racoviana ait: Baptiſmo peccatorum ablutionem tribui ſolùm tanquam ſigno adumbranti, non tanquam cauſſæ efficienti. Non enim Paulum jubet Ananias baptiſari ad ſignificandam ablutionem peccatorum, ſed conſequendam.* Atqui præſens exemplum nihil impedit, quo minùs eſſet aquæ baptiſmus Paulo adumbratio eius rei, quam Paulus invocato nomine Domini Ieſu conſecutus eſt. Poterat enim utrumque eodem tempore perfici: Nec dum igitur ea re falſum eſſe docuit, quod Catecheſis noſtra tradit.

Sed rationem affert Smiglecius: *Qui enim jubet aliquem tingi aqua, & ablui, proculdubio non ſignificari vult, ſed effici ablutionem, maximè ſi idcirco tingatur aqua ut abluatur, eidemque aquæ tinctio & ablutio tribuenda eſt.* At hîc non de communi lotione, ſed de aquæ baptiſmo agitur. Non igitur ex fine & effectis communis lotionis de fine & effectis aquæ baptiſmi decernendum eſt. At finem aquæ baptiſmi, docet eſſe peccatorum ablutionem. Sic enim ſcribit: *Non eſt autem dubium ablutionem peccatorum eſſe finem baptiſmi, qui idcircò dicitur dari in remiſſionem peccatorum.* Act. 2. v. 38. *& hoc diſcrimine Ioannis baptiſmus à baptiſmo Chriſti ſecernitur, quod licet uterque baptiſaret aquâ, Ioannes tamen nihil præter aquam conferebat; Chriſtus autem per aquam conferebat gratiam, & baptiſando aqua baptiſabat ſimul & Spiritu ſancto.* Atqui in teſtimonio citato, Petrus illis, quos aqua baptiſari jubet, prius proponit pænitentiam, quâ poſitâ, poni, ſublatâ tolli neceſſariò remiſſionem peccatorum, & ex oratione eiusdem Petri Act. 3.19. & univerſa ſcriptura teſtatiſſimum eſt. Apparet igitur, ex citato à Smiglecio teſtimonio, aquæ baptiſmi finem, peccatorum remiſſionem eſſe, non poſſe doceri. Nam quod ex liberaliſſimo Dei decreto, pœnitentiæ, quæ baptiſmum aquæ præcedit, vi fit & abſolvitur, ad id, conſe-

 quentis

quentis aquæ baptismi, nulla prorsus vis extendi potest. Præcipitur porro baptismus aquæ à Petro iis, à quibus pœnitentiam exigit, tum ut eos ad professionem nominis Iesu induceret, à quo alienissimi antea fuerant, tùm ut in abluendis peccatis vim pœnitentiæ per Dei gratiam, exteriore illo abluendi ritu adumbraret, & quodammodo oculis illorum subjiceret & repræsentaret. Discrimen etiam baptismi Ioannis & Christi, quod vult Smiglecius, nulla ratione probat. Nam nec tale esse inter baptisma Ioannis & Christi discrimen, quale Smiglecius vult ex loco Act: quem ad id probandum attulit, colligi potest; cum nihil prorsus tale in eo appareat; nec amplius quicquam habeat, quàm à nobis paulò ante recitatum est; & ipse Ioannes hoc discrimen inter suum & Christi baptisma interesse, evidenter doceat; quod ille quidem aquâ baptisaret, Christus verò Spiritu, quemadmodum loci Matth: 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Ioan. 1. 26. Act. 1. 5. & Act. 11. 16 demonstrent.

Pergit. *Falsa etiam est, & illa alia Catechesis explicatio, ut Paulus jubeatur abluere peccata, non baptismo, sed invocatione nominis Iesu. Clarum enim ex dictis baptisari & ablui consequentia esse; & ex lotione ablutionem sequi. Neque enim qui lavatur, alia re abluitur, alia lavatur.* At enim ista consequentia inter baptisari & ablui, & eâdem re lavari & ablui qui lavatur, non docet, peccata Pauli aquæ baptismo fuisse abluta. Dubium non est, peccata Pauli ea re abluta, qua ille fuit lotus. Sed quæstio est, quanám re fuerit lotus? non dico exterius; sed interius in animo ipsius, cujus sordes peccata esse, non ambigitur. Quod penetrare ad animum non potest, certè neque ejus sordes abluere unquam poterit. At aquam baptismi rem exteriorem ad animum non penetrare, sensus ipse testatur; nec usquam sacræ literæ oppositum docent. Efficitur igitur, ut invocationi nominis Iesu, ablutio peccatorum Pauli tota tribuenda sit; quæ sola & ipsius animi opus erat, & virtute ejus nominis quod invocavit, perfici potuit; ac porrò perfectam esse, virtus ipsa domini Iesu est documento.

Pergit Smiglecins. *Deinde invocatio nominis Iesu non magis ad ablutionem peccatorum, quam ad baptismum pertinet: cum baptismus ita sit à Christo institutus, ut per invocationem Patris Filii & Spiritus sancti conferri debeat: Si igitur ablutio peccatorum fit per invocationem nominis Iesu, etiam baptismus fit per invocationem nominis Iesu. Quodsi ex invocatione nominis Iesu sequitur peccatorum ablutio, sequetur & ex baptismo; is siquidem fit per invocationem nominis Iesu.* At cum aquæ baptismus professio nominis Iesu Christi sit; nego invocationem nominis Iesu Christi propriè dictam, ad aquæ baptismum pertinere. Nec enim aut partem essentialem, aut adjunctum illius inseparabile esse do-

ceri po-

ceri potest. Tum a Christo baptismum institutum, per invocationem Patris Filii & Spiritus sancti, esse aquæ baptismum, nequaquam docebit Smiglecius, uti superius monuimus; neque ex mentione Patris Filii & spiritus sancti, quæ hoc loco tantum fit, unquam legitimè inferet invocationem propriè dictam; cum permultum hæc distent, quemadmodum supra notavimus. Iam & illa, *si peccatorum ablutio fit per invocationem nominis Iesu; & si sequatur ablutio peccatorum invocationẽ nominis Iesu; etiam sequi baptismum, qui fiat etiam per invocationem Domini Iesu;* & ex parte falsa sunt; cum in aquæ baptismo, professionem tantùm nominis Iesu Christi fieri, Acta Apostolica tot locis testentur. Atqui aliud est nomen Christi profiteri, aliud propriè invocare. Atque etiamsi illa vera essent, non multum Smiglecium juvarent. Nam cum Smiglecius ex eo colligat, aquæ baptismo ablui peccata, quòd per invocationem nominis Iesu administretur; tum sequeretur nihilominùs ipsi invocationi nominis Iesu ablutionem peccatorum totam tribuendam esse, non aquæ baptismo. Quamobrem si hac ratione suæ caussæ non multùm Smiglecius consuleret, multò certè minùs, cum illa falsa esse docuerimus, quæ pro veris Smiglecius sumit. Iam quod ad ea attinet quæ Smiglecius subjicit; *invocationem propriè & immediatè spectare ad baptismum & mediante baptismo ad ablutionem*, & falsò asseri è superioribus ostensum est; & propriè & immediate invocationem ad baptismum spectare novo quodam more diceretur, etiamsi quod asserit Smiglecius verum esset; cum Invocatio propriè & immediatè spectet, tum ad invocantem, tum ad invocatam personam. At aquæ baptismus, nec est invocans persona, nec quæ invocatur. Cætera quæ subjicit, de fine aquæ baptismi & effectis lotionis, superius & appensa & discussa sunt.

Pergit Smiglecius: *At inquies; Tota peccatorum ablutio invocationi nominis Iesu tribuenda est, non aquæ.* Respondeo: *Si id ita est, posset igitur quis, vel non adhibita aqua, vel adhibito alio liquore baptisare, vel saltem baptismi effectum, qui est ablutio peccatorum conferre per solam invocationem nominis Iesu, aut in nomine Patris filii & Spiritus sancti. Quod cum fieri non possit (alioqui frustra fuisset institutus aquæ baptismus) manifestum est non solam invocationem, sed & baptismum ex institutione Christi ad hoc requiri.*

Sanè ex iis quæ ab ipso Smiglecio disputata sunt, emergit ea ipsa objectio; quemadmodum paulò ante ostendi. Sed eam connexi Smigleciani vis non attingit, tantum abest, ut evertat. Ecquæ enim illius consequentia? Certè positâ hac sententiâ; invocatione nominis Iesu ablui peccata, non consequitur prior consequentis pars, aut aquam baptismo

ptismo detrahi, aut alium liquorem, in quo tamen nullum inconveniens esset, in illius locum substitui posse. Nec enim ulla inter hæc ejusmodi oppositio apparet, ut ad positionem unius, alterum, aut partem alterius tolli oporteat. Quod verò ad alteram consequentis partem attinet, nempe posse per solam invocationem nominis Iesu, baptismi effectum, qui est ablutio peccatorum, conferri, siquidem tota peccatorũ ablutio nominis Iesu invocationi esset tribuenda; nihil aliud, quàm meram principii petitionem continet; dum & aquæ baptismi effectũ, esse peccatorum ablutionem, pro concesso sumit; & per solam invocationem nominis Iesu, ablutionem peccatorum conferri, antecedenti, tanquam inconveniens aliquod, opponit. Verba porrò illa, *in nomine Patris &c.* ad aquæ baptismum non rectè torqueri, superiùs ostensum est. In assumpto connexi, quod præterea tanquam incommodum addit: *alioqui frustra institutus esset baptismus;* nullo modo ex illa sententia consequitur. Nam professio illa nominis Iesu Christi, cujus gratia usurpatum ab Apostolis aquæ baptismum ex Actis Apostolorũ colligimus, etiamsi invocationi nominis Iesu attribuatur peccatorum ablutio, nihilominus illæsa manet.

Sed pergit Smiglecius: *Disertis*, inquit, *verbis dictum est a Christo: Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit. Non igitur satis est invocare nomen Domini, quod qui credit invocare potest; sed etiam baptisari necesse est, ad salutem consequendam.*

Atqui superius docuimus, verba hæc Domini Iesu non illico ad aquæ baptismum pertrahi posse; eò quòd in illis baptismi quidem mẽtio fiat, at non aquæ baptismi. Cum verò divinæ literæ, invocationi attribuant salutem; quàm verè Smiglecius, non satis esse, ad salutem consequendam, scripserit, invocationem, dummodo ea præsupposita intelligat, quæ invocatio vera præsupponit, lector expendat eruditus. Nec tamen inficias ire velim, baptismum, cujus in eo loco a Domino fit mentio, ad salutem prorsus pertinere.

Pergit: *Etsi enim scriptum est: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit; tamen etiam scriptum est: Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ita ut ista in speciem pugnantia scripturæ loca hoc modo cõciliãda sint, ut omnis qui invocaverit, si cætera quæ Christus præscripsit ad salutem necessaria servaverit, salvus erit. Præscripsit autem Christus, ut ii qui credunt & invocant nomen Domini baptisentur. Qui crediderit & baptisatus fuerit* &c. Primùm cur Smiglecius invocatione falsã, immò ne invocatione quidem; (cum possit aliquis Christum dicere Dominum, aut illi dicere Domine, Domine, nec tamen eum invocare & opem ipsius implorare,) veræ invocationis vim cupit ex-

cupit extenuare? Deinde ut hoc est verũ, in ejusmodi locutionibus semper includi ea, quæ Christus præscripsit; ita præscriptum a Christo, aquæ baptismum ad salutem esse necessarium, nunquam è Christi disciplina Smiglecius probabit. Verba Christi quæ subjecit, ad aquæ baptismũ cur non illicò pertrahi possint, superiùs docuimus. Porrò superioribus eversis, quis non videt illa, quæ effecta his voluit, ultrò corruisse?

Sed pergit. *Etiamsi daremus adversariis invocationi nominis Iesu ablutionem peccatorum tribuendam esse, tamen non cuicunque invocationi id conveniret, sed illi quæ fit in baptismo & per baptismum: huic enim ablutio peccatorum a Christo promissa est.* At cum sacræ literæ invocatione Domini Iesu ablui peccata testentur, uti superius demonstravimus, etiam hoc verissimum esse, necesse est agnoscat Smiglecius. Porrò quod opus tantum ad eam invocationem, quam aquæ baptismo inesse vult, restringat, idque ei promissum a Christo asserat; qua ratione probat? Certè in aquæ baptismo non est invocatio nominis Iesu, sed tantum professio; neque ulla eidem baptismo annexa promissio. Nam verba Matthæi quam perperàm huc accommodet, supra docuimus.

Sed pergit: *Neque verò incredibile aut superstitiosum debet videri, rei materiatæ effectum qui solius Dei est, ascribere. Non enim id habet res illa ex se, sed ex Deo.* At si docuerit Smiglecius, aquæ baptismum id habere ex Deo, ut peccata abluat; controversiam omnem sustulerit. Antequam id planum fecerit, nemini cordato persuaserit, rei materiatæ, quod Dei est, sine summa superstitione attribui posse.

Pergit: *Possunt enim res omnes, ad ea, quæ naturam earum excedunt, esse Dei instrumenta. Quare si Christo non fuit superstitiosum, luto de sputo facto aperire oculos cæci nati, & insufflando dare Spiritum sanctum; non erit etiam superstitiosum, baptismo aquæ abluere peccata* &c. At hîc non de habitudine & potentia rerum naturalium, si divina virtus accederet; sed de Dei voluntate in literis sacris patefacta, quæritur. Quid igitur, quid pro quo, ut vulgo loquuntur, obtrudit Smiglecius? Vnde & modũ mirabilium Christi operum, quem produxit Smiglecius, nihil ad rem prorsus facere, evidens est.

Pergit Smiglecius. *Iam verò scriptura non salutem solum & remissionem peccatorum Baptismo attribuit, sed & regenerationem. Illustria sunt Christi Domini verba*, Ioh. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto* (deest hæc vox apud Evangelistã,) *non potest intrare in regnum Dei. Duo commemorat principia regenerationis nostræ, & aquam & Spiritum sanctum.* Divinas literas nusquam attribuere remissionem peccatorum atque salutẽ aquæ baptismo, quemadmodum asserit Smiglecius, ex his, quæ ipsi opposuimus, liquere non dubito; nunc videamus, an

mus, an eidem regenerationem attribuant. Nego igitur aquæ baptiſmũ eſſe alterũ regenerationis noſtræ principiũ; neque id ullo modo Chriſti verbis, quæ produxit Smigl., probari apparet; ut è meis exceptionibus, & exceptionum defenſione, auxiliante Domino planum fiet.

Pergit Smiglecius. *At Moſcorovius cum ſuis in unum confundit, aquam intelligens ipſum Spiritum ſanctum. Quid ita? Quod in tota hac deinceps cum Nicodemo diſputatione ſolius Spiritus & non aquæ mentio fiat, hoc igitur ſignum eſſe, aquæ nomine Spiritum ſanctum intellectum. Futilis ſane & inepta ratio. Quaſi neceſſe ſit, omnia regenerationis principia ſemper commemorari, & non ſatis ſit nominari præcipuum principium, a quo cætera pendent, maximè ſemel enumeratis omnibus.* Atqui in diſputatione de rei principiis, neceſſe eſt ſemper omnia principia afferri, aut certe ea, ex quibus reliqua poſſint concludi neceſſariò. Alioquin, mutila admodum futura eſt tota de rei principiis diſputatio. Si in tota cum Nicodemo diſputatione, in qua de principiis regenerationis agitur, ſolius Spiritus fit mentio, certè Spiritus tantùm, cum iis quæ neceſſariò præſupponit ſpiritus, erit noſtræ regenerationis cauſſa. At aquã materiatam, ſpiritũ non neceſſariò, immò ne probabili ratione quidẽ præſupponere, cũ a Spiritu res omnis materiata toto cælo diſtet, nimis apertũ eſt. An igitur ita ſit futilis & inepta mea ratio, quemadmodũ vult Smigl., lector diſpiciat eruditus. Deinde, quemadmodum adverſus Skargam monui, è propoſitione Domini Ieſu id prorſus effici, quod nos aſſerimus, videtur; quæ ejuſmodi eſt: Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod eſt natum ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Chriſtus apertiſſimè, ſpiritualis regenerationis, non niſi ſpiritum, cauſſam oſtendit. Efficitur ergò neceſſariò, Chriſtum paulò ſuperius, per aquam, ipſum ſpiritum intellexiſſe; aut aquam baptiſmi, in ſpiritum mutari, neque ullo modo materiatam manere. Non poſterius; cum rei natura, & ſenſus, ac omnium, quod ſciam, ſententia reclamet; Prius igitur.

Pergit, *At aqua eſt res materiata (inquiunt) regeneratio verò ſpiritualis. Rectè ſanè*, reſpondet, & ordinẽ divinæ ſapiẽtiæ poſtulare tradit, *ut nobis qui ſpiritu & corpore conſtemus, per media corporalia, ſpiritualia conferantur* &c. *Sic fidẽ, ex auditu & prædicatione verbi a Deo donari, ſic ſub ſpecie panis & vini Chriſti corpore & ſanguine nos participare; Chriſtum per externam inſufflationem diſcipulis ſpiritum dediſſe; res cæleſtes in parabolis propoſuiſſe, denique per mortem filii ſui externam, voluiſſe nobis æternam vitam & omnia ſpiritualia dona comparare; rectéque deduci in Calvino Turciſmo, eos qui res externas cenſent nihil valere ad animos purificandos*, quales eſſent, quos Arianos vocet, *ad negandam Chriſti mortẽ viã ſternere* &c. Quin nos vocat, quos Racovianos Arianos,

ſcribit, *per ſummam impietatem & impudentiam diſertè fateri non vereri; Chriſti mortem tantummodò fiduciam promiſſionum divinarum in nobis excitare, non autem ex ſeipſa vim ullam ad nos ſervandos habere.* At nego, res ſpirituales per corporea media nobis eo ſenſu, quo vult Smiglecius, conferri; nempe vi eorum nobis dari ſpiritualia; quemadmodum vi aquæ baptiſmi vult nos regenerari. Nam nec naturâ eam vim illa habere, certum eſt; nec illis inſitam, divina inſtitutione, docebit Smiglecius. Exempla, quæ ſubjicit, eam rem non probant. Primum eſt, de fide ex auditu, & prædicatione verbi. Atqui prædicatio externa, vocis humanæ opera, & ſenſus, auditus nempe, miniſterio, verbum Dei ad hominis tantùm animum tranſmittit; quod ex pura ſua liberalitate, & beneficentia prorſus admirabili, Deus ad eum modum hominis animo offerri curat; ut illi perpenſo & apud ſeſe examinato, hominis animus, vel aſſentiatur liberè, unde fides; vel illud repudiet, unde incredulitas exiſtit. Patet igitur, vocem hominis ſeu prædicationem externam, vi ſua fidem non conferre, ſed animo duntaxat verbum Dei, ad eum modum quem deſcripſimus, offerre. Secundum exemplum, nos ſub ſpecie panis & vini corpore & ſanguine Domini participare; & falſum eſt, & abſonum; cum Paulus illa, quæ ſumunt in cœna Domini fideles, panem & vinum expreſſè, etiam poſt conſecrationem, ut loquuntur Aduerſarii, vocet; & accidentia panis & vini, in cœna Domini ſine propriis ſubjectis, conſiſtere, quemadmodum volunt aduerſarii, prorſus involuat contradictionem. Tertium exemplum eſt, per inſufflationem Chriſtum Apoſtolis Spiritum ſanctum dediſſe. At quid Chriſti factum, idque maximè ſingulare virium habet, ad dogma commune conſtituendum? Nec verò poſtquam afflavit Chriſtus Apoſtolos, ſed poſtquam cælos aſcendit, Spiritum ſanctum Apoſtolis datum; & Spiritus ſancti miſſi hiſtoria Act. 2. deſcripta, & locus Ioannis 7. 39. teſtis eſt. Quartum exemplum, In parabolis res cæleſtes Chriſtum propoſuiſſe. At aliud eſt, ſimilitudine res cæleſtes adumbrare; quod Chriſtus propoſitis parabolis duntaxat quæſivit; aliud res cæleſtes parabolas vi ſua conferre, quod hîc Smiglecio erat docendum. Poſtremum exemplum eſt, mors Chriſti, per quam Deum vitam æternam & omnia dona ſpiritualia nobis comparare ſcribit; cui etiam aſcribit, eos qui res externas, ad purificandos animos, valere negant, rectè deduci in Caluino Turciſmo, ad negandam Chriſti mortem ſternere viam. At fallitur, cum ſuo Caluino Turciſmo Smiglecius. Nec enim qui negant, vi ſua res externas purgare animos, idcircò uſum externorum legitimum negant, qui eſt res ſpirituales adumbrare, & ſenſibus repræſentare. Qui uſus etiam Ioan. 3.16.
in Chriſti morte eminet. Hæc enim, imago eſt ad vivum expreſſa, in- Rom. 5. 8.

Ioan. 15. 13. 2 Cor. 5. 14. & 15. gentis Dei Christique amoris, quæ ad animos nostros transmissa, ab iisque perpensa, animos nostros ad Deo Christoque confidendum, & Deum Christumque redamandum, eique parendum, sic rapit & incendit, ut Dei Christique caussa omnia facere, summo ardore cupiant, nec perpeti quicquam reformident. Atque ad eum modum Christi morte, spiritualia dona nobis comparari certum est; quæ etiam ipsi Christo fuit via, ad illam divinissimam ipsius gloriam, & suos servandi plenissimam potestatem, unde omnibus qui sunt ipsius, æternæ vitæ consequendæ expeditissima ratio apparuit & certissima spes affulsit. Atque hac ratione nobis comparatam Christi morte vitam æternam, literæ divinæ testantur. (Luc. 24. 26. Rom. 14. 9. 1 Petr. 1. 3. & 21.) At quòd nos, quos Arianos Racovianos vocat, fateri non vereri scribit, Christi morte tantummodò fiduciam promissionum Dei in nobis excitari, non autem ex se ipsa quicquam valere ad nos servandos; quantam vim ipsi morti Christi ad nos seruandos tribuamus, cùm ex eo quod attulimus, tum ex eo quod ipse agnoscit adversarius, manifestum est. Etenim sublatâ promissionum Dei fiduciâ, quis in animis nostris esset divinæ veritati locus? quis spei, fidei, religioni, ac proinde saluti? Ergò cum fateatur Smiglecius, nos id morti Christi tribuere ad nos servandos, quod veluti quædam in animis nostris basis est veritatis divinæ, spei, fidei, atque consequendæ salutis; perspicuum est, quantam vim morti Christi ad nos servandos ascribamus. Quæ cum ita habeant, quo jure nobis impietatem & impudentiam, iste pudens & pius homo attribuat, cordati juxta ac pii decernant.

Verùm redit ad locum Ioannis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*, &c. & scribit, *nullam habere rationem adversarios, cur Aquæ nomine, non Aquæ baptismum, sed Spiritum sanctum interpretentur, immò multas rationes eam interpretationem dissuadere.* At primum per *aquam* spiritum intelligimus, nō autem interpretamur spiritum sanctū. Ne igitur affingat quicquam nobis Smiglecius. Nam inter spiritum sanctum qui κατ᾽ ἐξοχὴν sanctus dicitur; & spiritum, quem hîc Dominus spiritum tantùm, non addita voce *sanctus*, vocat, permultùm in divinis literis interest. Deinde quàm verè scribatur a Smiglecio nos nullam rationem ejus explicationis habere, è superioribus arbitror perspicuum esse; nunc quæ sit vis rationum, quas ex adverso oppositurus est, perpendamus.

Joh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex Aqua.

Prima est, *quod à propria vocum significatione in scripturis exponendis, sine ratione vel authoritate sufficienti non est recedendum, maximè contra nubem Doctorum*, &c. *Alioqui infinita erit in scripturis exponendis licentia.* Proprietatem vocis sine caussa hîc obtendit adversarius, Nam hîc aquæ baptismus non est expressus; quod ad proprietatem vocis,

vocis, quam urget adversarius, fuerat necessarium, sed aqua tantùm. At aquæ vox, certè baptismum aquæ, naturâ suâ non significat; in divinis verò literis aquæ nomine, designatum aquæ baptismum, nusquam fortasse invenias. Præterea etiamsi aqua designaret aquę baptismum, quod tamen non fit; cum idem scribat, sine ratione a propria vocum significatione recedendum non esse, è superioribus satis liquere arbitror, nos non sine ratione per aquam spiritum interpretari; cujus certè, si evidens sit, & divinis literis consona, longè major vis censeri debet, quàm ullius auctoritatis, si ratione vel divinis testimoniis destituatur. Hanc porrò viam in explicandis divinis monumentis sequi, nulla licentia est, sed vera libertas; quemadmodum rationi & testimoniis divinis reluctari, est aut projecta licentia, aut non ferenda tyrannis.

Secunda. *Si de Spiritu sancto solùm loqui voluisset Christus, nullam aquæ sed spiritus tantùm mentionem fecisset, aquæ siquidem mentio ad nihil aliud valuißet, nisi ad obscurãdam Christi sententiam*, &c. Item: *Quod aqua Spiritum sanctum significet, id ita obscurum est, ut non solum Nicodemo, sed neque ulli ex omni antiquitate*, &c. nisi *Calvino & Arianis Racoviensibus venire in mentem potuerit.* At sit obscurissimum, per aquam hîc spiritum intelligi; etiam Nicodemo, etiam permultis ex antiquitate idem non animadversum; num propterea sequitur, non esse verum? Certè cum nos veritatem ejus sententiæ ex Christi dictis adjacentibus, & illius scopo, superius docuerimus; apparet obscuritatem, ut ut maxima sit, illi incommodare non posse. Deinde in tota hac disputatione, cum Nicodemo Christus agit, tanquam cum Magistro Israëlis, & ita se gerit, ut sciret Nicodemus, sibi cum divinissimo Doctore, a quo illi essent discenda omnia, rem esse. Quid mirum igitur, si obscurè in tota hac disputatione cum Nicodemo disseruit? Attamen vox aquæ, non ad offundendam duntaxat obscuritatis nubem, sed ad explicandam vim spiritus, de quo hîc egit Dominus, Domino usurpata est.

Tertia est. *Quod Christus aquam absolutè nominarit. Quod si aquam spiritualem intelligere voluißet, addidisset proculdubio aliquid, ex quo pateret, aquam non propriè sed metaphoricè accipiendam esse.* *Non enim ad hoc sufficit, quod de spirituali regeneratione agatur. Vt enim ostensum est, per media corporea, nobis à Deo spiritualia suppeditari solent.* At nego, Christū aquam absolutè nominasse. Sic enim loquitur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*, &c. deinde ajo: addidisse ea, ex quibus patet, aquam hic non propriè, sed metaphoricè accipi. Quicquid è carne natum est, caro est; quicquid è spiritu natum est, spiritus est. Ergo aut aqua spiritum denotat, aut aqua materiata in spiritum mutatur. Non hoc, uti ante docui. Ergo illud. Quod verò hîc de spirituali generatione aga-

ne agatur, id tantum pondus habet, ut vel hoc unum, ad evertendum adversariorum sententiam, sufficere videatur. Nec enim res materiata & corporea rei spiritualis, qualis est generatio nova, ullo modo principium caussaque existere potest; quemadmodum è verbis domini Iesu, paulò ante citatis, & ipsa ratione, cui id prorsus repugnat, manifestissimum est. Porrò quod scribit, res spirituales nobis per corporeas suppeditari, nec ad rem facit, & falsum prorsus est; cum neque id divinæ literæ tradant uspiam, & rationi sanæ id prorsus contraveniat. Adumbrari rebus corporeis spirituales, & repræsentari, & literis divinis & rationi consonum est; at non suppeditari, nisi vocem *suppeditari*, valdè impropriè acceptam velit.

Pergit Smiglecius. *Ajunt simili ratione Mat:3. 11. de Christo dici, Ipse baptizabit spiritu sancto & igni. Vbi ignis idem est, quod spiritus sanctus, & coniunctio Et exegeticè exponitur, id est. At cum id ajunt, suo se gladio jugulant. Nam eo loco ignis, non spiritum sanctum, sed ignem externum, in quo spiritus sanctus in die Pentecostes descendit, designat. Explicatur hic locus commodè per locum Act: 1. Vtrobique enim idem dicitur; Ioannem baptizare aqua, Christum verò baptisaturum spiritu sancto non multos post dies, hoc est, in die Pentecostes.* Hoc testimonium Matthæi, quod produxit Smiglecius, eò contra Skargam allatum a me fuerat, ut illi satisfacerem, qui instare voluisset, cur duabus vocibus, unam rem Christus, in loco Ioannis, spiritu nempe & aquâ, expressisset; id nimirum minimè novum, in divinis literis esse, quemadmodum præsens Matthæi testimonium doceret. Huic prolepseos solutioni, cum quædam opposuisset in secunda responsione Skarga; ea Dei beneficio a me ita sunt convulsa, ut si ea expendisset Smiglecius, nullam sibi fuisse caussam, eadem illa hùc regerendi, deprehendisset. Nos tamen nihilominus, & hæc ab eodem regesta expendamus. Cur itaque, postquam ex vi oppositionis, muneris Ioannis Baptistæ ad Christi munus, è verbis ipsius Baptistæ conceptæ; quæ esset, quod Ioannes aquâ, Christus spiritu baptisaret, docuerim, spiritum & ignem, apud Matthæum pro eodem sumi, meo me gladio jugulo? Quia (inquit Smiglecius) *eo loco ignis, non spiritum sanctum, sed ignem externum in quo spiritus sanctus die Pentecostes descendit, designat. Explicatur enim,* ait, *hic locus commodè per locum Act:* 1. At unde probat Smiglecius, apud Matthæum voce *ignis*, ignem externum, in quo spiritus, ut scribit, descendit, significari? Historia divina, quæ Act: 2. 3. continetur, nihil habet ejusmodi. Etenim particula ὡσεὶ *(instar)* nota est similitudinis, non rei. Quid igitur rei similitudinem cum ipsa re confundit Smiglecius? Postremò, unde colligit Smiglecius, locum Matthæi per Actorum, 1. testimonium expli-

cari?

cari? Quia idem utrobique dicitur, ait. Quasi verò hoc sit perpetuum in divinis literis, unius dicti, eandem semper ubique esse sententiam. At neque hîc, prorsus utrobique dicitur idem. Nam in loco Matthæi discrimen inter Christi & Ioannis baptismum docetur; at hîc Apostolis Domini, donum spiritus sancti, non multos post dies, in eos effusum iri, primariò promittitur. Denique eo admisso, quod vult Smiglecius, locum Matthæi, per locum Act: 1. explicari, mea sententia stabiliretur. Nam cum Act: 1. Ioannis baptismo, qui fuit aquæ, Christus suum baptismum, qui futurus erat in spiritu, tantùm opponat, nonné ex vi explicationis, quæ obscuris lucem affert, efficeretur, spiritu & igne apud Matthæum spiritum sanctum tantùm significari?

Sed pergit Smiglecius. *Quemadmodum igitur apud Matthæum ignis nomine non spiritus sanctus, sed ignis materiatus intelligitur: ita & apud Ioannem aquæ nomine non spiritus sanctus, sed aqua materialis intelligenda est.* At unde protasin similitudinis probat Smiglecius? E superioribus nulla vis illius apparet; locum etiam Matthæi aliud docere demonstravimus. Quapropter collabi eam oportet, ac proinde, & quæ innititur illi apodosin.

Quarta ratio est. *Nullibi in scriptura spiritus sanctus aquæ nomine significatur, quatenus aqua ad generationem spectat, sed tantum quatenus aqua vim habet mundandi & abluendi. Nam aqua ad generationem convenit ut materia: at spiritus sanctus est caussa efficiens, eaq; præcipua generationis nostræ spiritualis, nullo autem modo ut materia. Cum igitur Christus sic aquæ meminit, quatenus ex ea renascimur spiritualiter, nullo modo intellexisse spiritum sanctum potuit.* Spiritum sanctum non denotari per aquam, quatenus ad generationem spiritualem pertinet, sed quatenus aqua vim abluendi & mundandi habet, Smiglecius asserit. At enim hoc in quæstione est, aquam materiatam ad generationem spiritualem pertinere; item etiam illud: vim abluendi & mundandi, puta animi impuritates, aquam materiatam habere. Nec verò id quæstionem conficit, quod rationis loco subjecit Smiglecius: Aquam concurrere ad generationem tanquam materiam: cum hoc ipsum, æquè itidem ac illud, incertum sit. Quid mirum igitur, cum aqua in ea significatione in literis sacris nuspiam usurpetur, spiritum etiam S. per aquam, eo sensu, nunquam designari? Præterea idem Smiglecius, inter mundandi & abluendi & generandi actum spiritualem, vult esse quoddam discrimē; cum revera tùm generemur spiritualiter, cùm mundemur & abluamur a sordibus & impuritatibus animi: cum, inquam, deponamus secundùm pristinam conversationem veterem hominem, corruptum secundum cupiditates erroris, & renovemur spiritu mentis nostræ; ac induamus

novum

novum hominem, ipsum secundum Deum creatum, in justitia & san-
Ephes.4.22.23.24. ctitate veritatis, uti Apostolus loquitur. Nec enim regeneratio, si finem
Gal.6.15. suum assequatur, videtur aliud esse, quàm illa creatio nova, quam Apostolus tantùm in Christo valere docet; Cujus etiam ingenium, in eadē
Gal.5.6. epistola, fide per charitatem efficaci, descripserat & apertius expresserat. Iam quòd Christus aquæ mentionem faciat, è qua nascimur spiritualiter; hinc opinio Smiglecii non stabilitur. Etenim cum Christus dicat: Quod è carne natum est, caro est, & quod è spiritu natum est, spiritus est; satis apparet, nos ex aqua materiata spiritualiter non generari. Postremò cum hîc, aquam ad generationem convenire ut materiam, scribat; pagina verò 182. tribui peccatorum ablutionem aquæ baptismi, tanquam caussæ efficienti velit, an satis hæc cohæreant, lector expendat eruditus.

Quintæ rationis loco affert hæc Smiglecius: *Denique prædictum est a Ioanne, Christum baptisaturum in Spiritu sancto* Ioan.1.33. Matth.3.31. Mar.1.8. Luc.3.16. Act.1.5. *Baptisaturus autem erat Spiritu sancto in baptismo aquæ. Hoc enim est quod dicebat Ioannes, se baptisare in aqua, Christum verò (in suo quem instituit aquæ baptismo) baptisaturum in Spiritu sancto. Et quemadmodum baptisando igne, baptisabat in Spiritu sancto: ita & baptisando in aqua. Alioquin non fuisset fortior Ioanne in suo baptismo, siquidem baptisando aqua, nihil præter aquam conferret.* At ista ratiocinatio Smiglecii, nihil prorsus, nec adversum nos, nec pro Smiglecio facit. Nec enim ostendit, aut loco, de quo controversamur, per aquam illam, materiatam aquam significari, quæ tanquam materia ad generationem spiritualem concurrat, quod vult Smiglecius; aut spiritum intelligi non posse, quod nos demonstramus. At vide, quid hoc loco agat Smiglecius, primum docet, Christum baptisaturum fuisse in spiritu sancto, idque tot sacrarum literarum ad eam rem congestis testimoniis. At quis hoc negat? quid hac igitur testimoniorum congerie opus erat? Deinde scribit, Christum baptisaturum fuisse in aquæ baptismo spiritu sancto. *Hoc enim*, inquit, *dixisse Ioannem, se baptisare in aqua; Christum verò (in suo, quem instituit aquæ baptismo) baptisaturum in spiritu sancto.* Atqui Ioannes tantùm dicit, se baptisare aquâ, Christum verò baptisaturum spiritu sancto. Ergo quæ addit Smiglecius, ex Ioannis verbis excepta non sunt. Non igitur hoc loco docuit, Christū baptisaturum spiritu S. in suo quem instituit, uti loquitur, aquæ baptismo. Ac ne sequentib⁹ quidem idem docet, *quemadmodum*, inquit, *igne baptisando baptisabat in Spiritu sancto: ita in aqua* &c. At nusquam igne, ut putat Smiglecius, materiato, legimus baptisasse Christum, quemadmodum suprà ostendimus; cum id, quod ex illa delapsi Spiritus sancti Act.1. hi-

storia, colligere voluit aduersarius, appendimus & expendimus. Quare ex eo, quod nusquam factum legitur, apodosin suam stabilire non potest Smiglecius. Postremò, quod hac ratiocinatione quæsisse videtur, Christum non futurum fortiorem Ioanne Baptista in aquæ baptismo, ad robur & præstantiam Christi demonstrandum, nihil pertinet. Etenim cum Christus spiritu sancto baptiset, quod opus ipsius, ut excellentissimum, aquæ baptismo, qui Ioannis Baptistæ proprius erat, opponitur; apparet, aquæ baptismum sublimi & divino Christi munere, multis partibus inferiorem esse atque fuisse.

Pergit: *Ex his igitur rationibus perspicuum est, temerè adversarios in hoc loco interpretari ignem Spiritum sanctum; necessariumque esse, aquæ nomine veram aquam, ex qua & Spiritu sancto renascimur, intelligere.* An Smiglecius rationes aliquas attulerit, quæ cogant, aut aliqua ratione, vel probabili saltem suadeant, aquę nomine, loco citato, aquam materiatam intelligi, lectis nostris responsionibus facillimè dispicies, lector erudite. nunc reliqua, quæ idem scribit, persequamur.

Pergit: *Ad quod etiam Paulus ad* Tit.3.5. *alludit, cum ait, saluos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti. Dicitur enim lavacrum regenerationis baptismus, quia dum eo lavamur, regeneramur.* At docendum erat Smiglecio, lavacrum regenerationis apud Paulum, esse, ut ille vult, aquæ baptismum; non nudè asseverandum. Certè cum constet, regenerationem esse rem spiritualem; & lavacrum regenerationis, de quo agit Apostolus, spirituale existat necesse est. At elementare lavacrum, qualis est aquæ baptismus, spirituale lavacrum non esse, nimis evidens est. Atque hoc idem verba sequentia Apostoli explicare videntur, *& renovationis Spiritus sancti*, quæ sunt quædam epexegesis priorum.

Ait: *Nam quod Catechesis Racoviana exponit, lavacrum regenerationis purgationem animarum, quæ verbo fit, uti dicitur* Ephes.5.26. *Purgans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ. An non is ipse locus convincit, lavacrum regenerationis esse lavacrum aquæ baptismi? Aqua enim propriam & elementarem aquam designat.* Aquam hoc loco propriam & elementarem aquam designare, hoc ipsum in quæstione est. Cur igitur hoc non probat Smiglecius? An nudè asserere, quod Smiglecio nimis est familiare, rem demonstrare est? Aquam verò, non significare aquā elementarem, in loco citato, hinc apparet; quòd lavacrum hoc aquæ, in verbo vitæ, Hebræorum more, id est per verbum vitæ, quo mundantur credentes, describatur. At aquæ baptismi lavacrum, non per verbū vitæ, sed per aquam elementarem, aut in aqua elementari, administratur. Smiglecius hîc voculas *lavacri*, & aquæ aucupatur; quasi verò in literis di-

teris di-

teris divinis, non sæpissimè *aqua* & *lavacrum* metaphoricè usurpentur. Illa verba, *in nomine Patris* &c. dum torquet ad aquæ baptismum, & ad verbum vitæ, expositionem quorundam, ut scribit, Patrum secutus, accommodat; quàm rectè id faciat, ex iis, quæ superius a nobis allata sunt, patere arbitror. Quanquam verbum vitæ, nusquam in exemplaribus Græcis, quod sciam legatur. Locum ad Hebr. 10. 22. de aquæ baptismo accipi non posse, ob rationem a nobis allatam, nobis assentitur; at negat eam aquam, esse verbum & doctrinam, nisi fortè velimus verbo corpora ablui. At quod est ea in re inconveniens, si statuamus, verbo & doctrina Domini Iesu metaphoricè corpora ablui? An, dum verbo & doctrina illius animi nostri purgantur, non etiam corpora, dum a gula, ab ebrietate, a scortatione & id genus aliis corporis inquinamentis retrahuntur, hac ratione ablui rectè dicentur? Hinc Paulus, 2. Cor. 7. 1. monet; *ut has promissiones habentes, mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus &c.* At quod Patres quosdam secutus, ad aquæ baptismum eundem locum referri posse docet, idque eo sensu, dum ait: *Accedere nos debere ea munditia retenta, quam ex Baptismo semel suscepto acquisivimus*: ea in re petit principium. Docendum enim illi est, aquæ baptismi vi, nobis animorum puritatem contingere.

Sed jam fundamentum meum aggreditur: *Restat inquit, ut ad fundamentum Moscorovii respondeamus, nos non aliter, quàm verbo Dei regenerari. Vt enim concedimus verbo Dei nos regenerari, ita multũ discrepamus ab adversariis, in modo quo nos verbũ Dei regenerat.* Benè habet, cum in ipso fundamento nobis conveniat, de modo pòst videbimus.

Pergit igitur Smiglecius. *Nam ipsi verbo Dei soli per fidem accepto regenerationem & justificationem tribuunt, nos autem è scripturis solam fidem, ad id satis esse negamus, sed fidem tantùm esse initium justificationis & regenerationis nostræ.* Agnoscimus, verbo nos regenerari, quatenus illud fide amplectimur, & ei nos subjicimus; agnoscimus etiam fide nos justificari; cui si particulam, *sola*, putet nos addere Smiglecius, ad excludendum charitatem & opera bona, quæ exigit a pœnitentib⁹ Evangelium, fallitur egregiè. Etenim nos fidem, quæ per charitatẽ efficax sit, quam tantùm in Christo valere, Apostolus apertissimè docet, Gal. 5. 6. perurgemus; eique fidei, secundum Dei gratiam, justificationem attribuimus. Sed particulam, *sola*, fidei tùm addi posse, cum de excludendis legis operibus, & obedientia, quam lex requirebat, agitur; satis accommodatè, non ignoramus. Toties enim Paulus fide nos justificari docet, Rom. 3. 28. Gal. 2. 15. & 16. absque operibus legis. Ergo si neget Smiglecius, fidem eo sensu satis esse ad justificationem; negabit, quod in literis divinis testatissimum est.

Nam quod

Nam quod addit, fidem esse tantùm regenerationis initium; hoc, si de fide illa viva intelligat, nunquam e literis divinis docebit.

Pergit: *Per fidem verò, & verbum Dei, demonstrantur media a Christo instituta ad justificationem & regenerationem nostram consequendam, qualia sunt Sacramenta, quibus non minus quàm Fidei tribuitur salus nostra & Iustificatio. Neque enim scriptum est: Qui crediderit tantum, sed qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Quorum remiseritis peccata remittentur eis. Hoc igitur modo ex verbo Dei & fide oritur justificatio nostra, quia verbum Dei continet & suppeditat media, quæ si usurpaverimus, justificationem consequemur, & nullum aliud medium ad justificationem valet, nisi e verbo Dei depromtum, & Dei verbo demonstratum, non autem quod Dei verbum solum auditum justificet.* Gratiam habeo Smiglecio, quod medium ad justificationem valere nullum agnoscat, nisi quod è verbo Dei depromatur, & Dei verbo demonstretur. Ita nullo negotio, in re gravissima, nisi verbo Dei, etiam illud suum non scriptum Dei verbum, ut illud vocant, comprehensum velit, nobis conveniret. Porrò verbo Dei, sacramenta quæ vocant, tanquam media a Christo instituta, ad justificationem consequendam, demonstrari scribit; at non probat Smiglecius. Nam locus ille: *Qui crediderit & baptisatus fuerit*, agit quidem de baptismo; at non de aquæ baptismo, quemadmodum Smiglecius putat; ut ante monui; & verba illa: *Qui manducat panem hunc, vivet in æternum*, non de cœnæ pane loquuntur, sed de ejusmodi pane, è cujus usu necessariò vitam æternam consequamur; qualem non esse cœnæ Domini panem, ex verbis Apostoli apparet, asserentis, *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sangvinis Domini.* 1 Cor. 11. 27. Verba etiam: *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*; sanè dignitatem Apostolorum summam ostendunt; sed quæ universa ea re, quod illis Evangelium creditum fuisset (cujus ea vis est, pœnitentiam agentibus & in Christum credentibus peccata remitti; in credulos damnari) niteretur. Quod cùm ex muneris Apostolici officio, tùm ea ex re, quod nemini nisi pœnitentiam agenti & in Christum credenti, hanc gratiam divinam, remissionem nempe peccatorum denunciarint, manifestum est. At hoc, quid facit ad rem Smiglecii, nempe sacramenta a Christo instituta ad regenerationem, & justificationẽ consequendam? aut sacramentis non minùs quàm fidei tribui justificationem? Iustificationem verò nos consequi, non si sacramentis utamur, sed si in Christum credamus, eique obsecundemus, hinc perspicuum est: quòd fidei in Christum & pietati, passim sacræ literæ vitam æternam promittant. Ioan. 3. 16. 1 Tim. 4. 8. Vnde etiam apparet, sine caussa illa a Smiglecio ad-

 dita,

dita, *quod Dei verbum solum auditum iustificet.* Hoc enim nos justificat, sed non aliter, quàm si fides nostra & obedientia accesserit. Evangelium enim virtus Dei est, in salutem omni credenti, tum Iudæo, tum Græco; ut ait Apostolus. Rom. 1. 16.

Pergit. *Hoc igitur posito dicimus, aquam in baptismo nos regenerare, quia eius regenerationis modum verbum Dei nobis suppeditat*, &c. Hæc, & quæ subjicit Smigl:, nos superius falsa esse demonstravimus.

Pergit. *At non solum baptismi formam & effectum, sed & necessitatem tollunt. Clarè ea de re decernit Catechesis Racoviana, cum de baptismo loquens ait, non consistere in his externis regnum Dei. Neque enim isti baptismum requirunt, nisi ut ii qui baptisantur profiteantur, se ea ceremonia Christum pro Domino agnoscere.* Si baptismo tribuimus, quod illi tribuunt sacræ literæ, ecquid alienum ab officio facimus? Nam licet alio modo profiteri quis Christum possit, num propterea aquæ baptismo addere quidpiam licet, quod divinæ literæ non addant? Hac ratione verò accersi a nobis interitum parvulis scribit Smiglecius; at nunquam solidè docebit. Nec enim hinc efficitur, eos privari vita æterna, cum aquæ baptismo privantur; cùm parvuli non possint aquæ baptismo privari, ad quem nulla ratione pertinent, & aquæ baptismum conferre vitam æternam, ab omni veritate alienissimum sit. Nec verò hoc est Dæmonis inventum, nedum præcipuum, sed doctrina Apostolica, in externis regnum Dei non consistere, sed oportere homines piè vivere necessariò, si servari velint, neque externis ullo modo confidere. De infantibus verò & parvulis, notæ sunt Domino viæ suæ, qui innocentes, in quorum numero censentur parvuli, nunquam tanquam noxios puniturus est.

Pergit. *Aiunt, se non videre hanc necessitatem baptismi in pueris; videntes igitur non vident, &c. Nisi qui renatus fuerit denuo*, &c. At hæc ad infantes pertinere, nunquam docebit Smiglecius, quemadmodum a nobis demonstratum est.

Pergit. *Hæreditas illa non datur nisi filiis, qui ex Deo nati sunt. Aut igitur parvuli non erunt hæredes regni cælestis, aut regenerari illos opus est & renasci.* De adultis illa dicuntur; non de parvulis, in quos regeneratio non cadit. Nec enim eorum mens & voluntas unquam ad malum deflexerat, ac neque fuit depravata. At ubi nulla est depravatio, nulla restitutione, qualis est generatio nova, illic opus est.

Pergit. *Iam quæro à Moscorovio, quomodo parvuli regenerantur? num verbo, quem unicum modum ait esse, quo secundum scripturas homines renascantur. At infantes nec verbi, nec prædicationis capaces sunt. Aut igitur non renascentur, & sic in æternum peribunt, aut alio modo renascentur, nempe per baptismum ex aqua & spiritu sancto. Tanta igitur necessitas baptismi, quanta regenerationis spiritualis.* Respondeo Smiglecio ad quæstionem. Non renasci parvulos prorsus. Nam in eam ætatem id non cadit, quippe præ qua neque dextram, neque sinistram norunt: neque si caderet, tenerentur, quippe nondum corrupti. Nec propterea tamen pro damnatis censeri possunt. Deus enim hîc proculdubio facit, quod ejus æquitate ac bonitate dignissimum est. Non docuit ergo Smiglecius, tantam esse aquæ baptismi necessitatem, quanta est regenerationis spiritualis. Nam ex vi fœderis divini neminem servari nisi renatū, expresse in divinis literis toties legimus. Perpetuò enim nobis occinunt sacræ literæ: Sine sanctimonia nemo videbit Dominum: at neminem servatum iri, nisi aqua baptisatum, nusquam propositum in divinis literis nobis est.

Pergit; *Aiunt Baptismum non conferri nisi credentibus, idque mandato Christi: Qui crediderit et baptisatus fuerit*, &c: At enim nos negamus, locum præsentem ad aquæ baptismum pertinere. Qui ergo ex hoc mandato Christi, nos colligere scribit, quod asserit? Deinde respondet, *locum illum pertinere, ad eos qui per prædicationem convertuntur ad fidem*, &c. *in quibus ordinem quem locus præscribit, esse servandum; at non in infantibus. Nam ut prædicationem, ita nec fidem ad eosdem pertinere; eò quod rationis usu destituantur; at secus in baptismo aquæ fieri, qui cadere in infantes possit, cum ritus externus sit, spiritualem regenerationem conferens.* At enim si prædicatio & fides non pertineant ad infantes, quòd rationis usu destituantur; efficitur vi ejusdem rationis, nec baptismum aquæ cadere; quæ actio, nonnisi a prudente & volente, si ritè instituatur, suscipi potest. Deinde falsum est, aquæ baptismum regenerationem conferre, ut ante docuimus. Cui cur addit Smiglecius *spiritualem?* An datur in divinis regeneratio non spiritualis?

Scribit porrò, *si urgeatur, infantes eò quod non sint capaces fidei, non esse baptismi; se quoque instaturum, non fore capaces salutis.* At cum infantes non esse prædicationis & fidei capaces, agnoscat Smiglecius; agnoscat idem, totum locum hunc non pertinere ad infantes, necesse est. Nec enim hîc licet delectum instituere, ut pars testimonii hujus aliò, pars ad infantes trahatur: sed locus usurpandus integer, & sensus ipsius è Domini disciplina, non è nostro arbitrio capiendus est. Quamobrem cum is locus pertineat ad eos, qui capaces sunt prædicationis & fidei, certè ratione hujus baptismi & salutis, ad eosdem tantùm pertinebit. At cum infantibus, qui extra ordinem sunt, extra ordinariam rationem proculdubio servat Deus, quippe cujus viæ omnes veritas rectitudo & judicium.

Pergit,

Pergit, & miram temeritatem in mandatis Dei ad ſenſus noſtros accommodandis nobis objicit: Cujus nos damnat ob eam rationem, quod mandatum de calice bibendo tantum putemus, ut illud ſine ſalutis jactura omitti non poſſit, & tamen in iis qui uſum vini ferre non poſſunt, illud ita temperemus, ut eis ad ſalutem non eſſe neceſſarium exiſtimemus, &c. iidem rurſus ab infantibus fidem in baptiſmo, quæ illis impoſſibilis, expoſcimus. At neutrum facimus. Nam neq; mandatum de calicis uſu ad ſenſus noſtros ullo modo accommodamus, nec ab infantibus fidem in aquæ baptiſmo exigimus. Etenim quid ab omni ratione alienius foret, quam ab iis id, quo noſtra, ex parte noſtri, continetur ſalus exigere, qui neque dextram neque ſiniſtram, ut divinæ literæ loquuntur, norunt? Quapropter qua prudentia ipſe Smiglecius nos temeritatis condemnet, cordatus videbit. Porrò de calicis uſu in ea ſententia ſumus, uſurpandum eſſe ex præſcripto Domini. Hinc eos qui calicem cænæ Domini ſubtrahunt, nihil dubitamus, evidentiſſimè Domini Ieſu mandatum violare; quod Smiglecius unà cum ſuis facere nihil veretur.

Pergit Smiglecius. *Chriſtum non requiſiviſſe ad baptiſmum conditionem impoſſibilem, neque aliud remedium ſalutis pro parvulis præter baptiſmum reliquiſſe, unumque ex duobus dicendum eſſe, aut Chriſtum pro parvulis mortuum non eſſe, eoſque non redemiſſe, aut ſi redemit, medium efficax ad ſalutem providiſſe, quod non eſt aliud niſi baptiſmus.* Certè cum aquæ baptiſmum ad infantes pertinere negemus, apparet, nuſquã nos aſſerere, Chriſtum conditionem impoſſibilem, ad baptiſmum ab iis requiſiviſſe; pro parvulis porrò nullum remedium ſalutis a Chriſto, niſi aquę baptiſmum, relictum pernegamus. Quæ enim teſtimonia divina probant? Chriſtum porrò non eſſe pro parvulis mortuum, aut ſi mortuus ſit, medium ad ſalutem efficax, baptiſmum aquæ illis ab eo proviſum, vi ſuperiorum, quod neque ad baptiſmum conditionem impoſſibilem requiſierit, & nullum remedium ſalutis niſi baptiſmum pro parvulis reliquerit, non efficiuntur; cum prius membrum ad finem Chriſti mortis nihil prorſus faciat, poſterius nihil aliud ſit, quam repetitio ejuſdem, quod eſt in quæſtione, atque ipſiſſima principii petitio.

At quærit, *Cur ſint* (infantes) *baptiſmi incapaces?* ac reſpondet: *An quia non credunt? & hanc conditionem non requiri à Chriſto, ait.* At nos etiam eò non eſſe baptiſmi capaces aſſerimus, quod baptiſmus res arbitraria ſit; at infantes nullum liberi arbitrii uſum habeant. Deinde aliam reſponſionem ſubjicit: *An quia regenerari ſpiritualiter non poſſunt, quod Catecheſis Racoviana cenſuit?* At Catecheſis noſtra, loco quem Smiglecius citat, eos cenſet falli vehementer, qui aquę baptiſmo

infantes

infantes regenerari putent, eamque ejus rei rationem reddit, quod regeneratio ſit rationis & voluntatis noſtræ transformatio, & ad doctrinam Chriſti compoſitio; quæ cum in parvulos prorſus non cadat, inde apparere, eos non regenerari prorſus, nedum ut aquæ baptiſmo regenerentur. At hæc res multum abeſt a priore. In priore quæritur, cur infantes non ſint baptiſandi? In poſteriore docetur, ut ut aqua baptiſentur, eos nullo modo regenerari.

At opponit Smiglecius: *Ioannem baptiſtam, qui in utero ſpiritu ſancto repletus & ſanctificatus eſt; & pueros innocentes pro Chriſto interfectos, & ante Chriſtum omnes circumciſos, fuiſſe ſpiritualiter regeneratos;* ut doceat falſum eſſe, regenerationem in infantes non cadere. At inſtantiæ Smiglecii, de Ioanne Baptiſta, de parvulis innocentibus ab Herode peremptis, de circumciſis ante Chriſtum, non docent hos fuiſſe regeneratos. Quæ enim divina teſtimonia illos renatos vocant? Innocentes illos fuiſſe nihil ambigimus, at renatos pernegamus. Aliud autẽ eſt innocentem eſſe, aliud renatum. Illud cadit in infantem, hoc nullo pacto. Nam renaſci nos per verbum Dei oportet; at verbum Dei excipere fide, parvuli per ętatem non poſſunt. Apparet igitur, parvulos nullo modo regenerari. Privilegium Ioannis Baptiſtæ, quòd replendus erat ex utero matris ſpiritu ſancto, ingentis Dei, erga Ioannem favoris eſt indicium, at non ejus rei quod Ioannes eſſet renatus, cum adhuc parvulus eſſet, argumentum. At unde rogo didicit Smiglecius, parvulos ab Herode peremptos, pro nomine Chriſti occubuiſſe? De Chriſto nato ſparſam, a Magis ex Oriente Hieroſolymam venientibus, famam, necis illorum occaſionem extitiſſe, narrat Evangeliſta; at hos pro nomine Chriſti neci datos, nuſquam ſcribit.

Sed pergit & rationem affert, qua doceat regenerari infantes poſſe: *Si homo, inquit, naſci poteſt, etiamſi ſtatim uti ratione non poteſt: cur infantes filii Dei naſci non poſſint, etiamſi ſtatim opera Dei non faciant?* Eò quod executio operum Dei, qualis eſt fides viva in Ieſum Chriſtũ, Ioan. 6.29.
ut eam ſervator vocat, filios Dei conſtituat. Sic enim Apoſtolus: *Omnes* Gal. 3. 26.
vos filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Atque hæc eſt cauſſa, cur filii Dei, niſi illicò faciant opera Dei, naſci non poſſint; & hoc diſcrimen inter generationem ſpiritualem, & naturalem: quod in generatione naturali, nullæ potentiæ rei producendæ, cum cauſſa procreante concurrant, ac ne poſſint quidem; cum res nec dum exiſtat; in generatione verò ſpirituali, hominis exiſtentis, ratio atque voluntas, concurrat cum Spiritu Dei & Evangelio, eique ſeſe accommodet, neceſſe eſt. Quod niſi fiat, generatio ſpiritualis non ſubſequetur. Hinc igitur, quàm apte Smiglecius has generationes, in hac parte contulerit, perſpicuum

cuum

cuum esse arbitror. Nam quod Smiglecius vult, ut in naturali generatio-
ne potentiæ nobis contingant, quæ in actum tandem longo post tem-
pore erumpant, idem in generatione spirituali nobis usu venire; & in-
tellectum nostrum & voluntatem spiritualibus donis reformari, non
ut statim agant, sed ut, cum opportunum sit, statim agere possint; quî
hæc consistere possunt? cum in generatione naturali, potentiæ natura-
les, non nisi longo post tempore in actum erumpant; at generatio spi-
ritualis, ex actionibus spiritualibus, ad quas potentiæ nostræ, intelle-
ctus & voluntas, Spiritu Dei & Evangelio solicitantur, permoventur,
ac refinguntur, sæpissimè iteratis, oriatur atque existat.

Pergit: *Certè parvuli, aut ad regnum cælorum non pertinent, contra
verba Christi dicentis: Talium esse regnum cælorum; aut renasci spiritua-
liter possunt, & esse filii Dei, cum non nisi filiis, cælestis illa hæreditas debe-
atur.* Quod nemini pateat aditus ad regnum Dei, nisi renato; hoc de a-
dultis semper accipiendum est; quibus talia præscribit divina lex, non
parvulis. Ac neque e verbis Domini Iesu hoc amplius exculpi potest,
quàm eorum esse regnum Dei, qui tales essent, ut parvuli, id est illis ma-
1. Cor. 14. 20. litia similes; Quocirca alibi in divinis literis monemur, ut intelligen-
tiâ viri, malitiâ pueri simus. Tandem concludit hanc suam disputatio-
onem, his verbis Smiglecius: *Satis*, inquit, *constat opinor, quantam inju-
riam baptismo & Christiano nomini isti novi Ariani & Anabaptistæ faci-
ant; ut vel ea sola ex caussa, nemo tãtos Christianæ religionis hostes, Chri-
stiano nomine dignos censere possit; cum id quo Christiani omnes efficimur,
quo nascimur Dei filii, & in Christi familiam cooptamur, exterminant &
è medio tollunt.* At ex iis quæ Smiglecio opposuimus, perspicuum cui-
vis esse arbitror; nos, quos iste novos Arianos & Anabaptistas pro mo-
re suo vocat, cum baptismum aquæ, eo loco habeamus, quo habendum
esse è divinis literis didicimus; nullam aquæ baptismo injuriam facere;
multò verò minùs nomini Christiano; quod, dum omnes homines ad
veram in Christum fidem & præceptorum ipsius sub beatæ immorta-
litatis spe conservationem, pertrahere modis omnibus conamur; in ex-
celso atq; sublimi loco ponere studemus; & cum pro ea fide, per quam
Christiani veri efficimur; qua in filios Dei & Christi familiam asscisci-
mur, asserendâ, omnes nervos intendamus; & omnes a nugis & rerum
externarum larvis, ad solidæ pietatis, virtutis & religionis Christianæ
augustam speciem revocemus; non Christiani nominis hostes, sed er-
raticarum opinionum, eorum hominum, qui sibi solis Christianum
nomen arrogant, oppugnatores, immò religionis Christianæ collapsæ
instauratores, merito atque optimo jure, ab omnibus æquis rerum æ-
stimatoribus, censendi sumus.

Iam fi-

Iam finem Appendici huic facturus erat Smiglecius; sed locum 1.
Ioan. 3. (apud Ioannem 5.) a meis ũt vocat glossematibus vindicaré vo-
luit. Attendamus igitur vindicias. Scribit igitur: *Ait Moscorovius eo Io-
annis loco: Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum & Spi-
ritus sanctus; trium personarum unam essentiam non probari: solùm enim
vult dici, tres esse unum testimonio non naturâ.* At primum non ajo, non
argumentor; sed argumentãtem ex eo loco Skargam, ad eum modum
excipio: Non sunt hîc tres personæ in una essentia nobis ostensæ; quare
ad Deum trinum in personis asserendum, sine caussa is affertur locus.
Ad eum modum infracta argumentatione Skargæ, ut ejus argumenta-
tionem penitus convellerem, similem loquendi modum, illicò apud
eundem authorem opposui: ac loci veram sententiam ex anteceden-
tibus & subsequentibus, Lectoris caussa demonstravi. Quid igitur ad
hæc Smiglecius? Negat, videre me, tres testes in cælo adduci, tanquam
testes divinos, & testimonium illorum dici ibidem Dei; *Si testimoni-
um*, inquit, *humanum accipimus, testimonium Dei maius est.* At qua ra-
tione negat me vidisse; qui citem testes, qui testantur in cęlo? Tùm; an
quia testes illi, divini, & testimonium eorum, Dei testimonium dici-
tur, (quanquam testimonium hoc Dei, etiam dicitur de his, qui testan-
tur in terra, uti è Ioannis oratione perspicuum est) tres erunt propte-
rea personæ, in una deitate? Nihil minus. Nam & Evangelii vox; & mi- 1 Ioan. 5. 1.
racula divina, Dei testes sunt: num propterea sunt personæ, vel essen- Ioan. 5. 36.
tia divina?

Sed pergit Smiglecius: *Porrò hi tres testes dicuntur esse unum natu-
râ & divinitate, tum quia dicuntur, absolutè unum: tum quia id pertine-
bat ad authoritatem horum testium commendandam, quod cum sint unius
divinitatis & naturæ, testimonium eorum summum haberi debeat, ut po-
te divinum: tum quia nihil attinebat, de concordia horum testium dicere,
de quo dubitare nemo poterat.* At falsum est dici eos absolutè unum; Lo-
cus id ostendit, qui sic habet: *Tres sunt qui testantur in cælo, Pater Ver-
bum & Spiritus, & hi tres unum sunt.* Dicuntur tres testari in cœlo &c.
& hi tres unum esse: Ergo non absolutè unum dicuntur; sed eatenus di-
cuntur unum, quatenus testantur in cœlo. Quam rem etiam illustrant
& confirmant exemplaria quædam, quæ sic habent: *Tres sunt, qui te-
stantur in cælo, Pater Verbum & Spiritus, & hi tres in unum sunt*; uti co-
dex Hispaniensis, quo usus est B. Arias Montanus & alii nonnulli. Po-
stremò fragmentum glossæ ordinariæ eum locum interpretatur, *hi tres
unum sunt, id est, de una re testantur.* Nec insuetum est sacris literis, eos
vel ea dici unum, quorum est diversa natura. Plantans & rigans ab A- 1. Cor. 3. 8.
postolo dicuntur unum esse, num iidem idcirco ejusdem naturæ? Cre-

 dentes u-

Gal.3.30. dentes univerſi dicuntur in Chriſto unum, immò unus, ut in Græco eſt; num propterea unius numero ejuſdemque ſunt naturæ? Secundò, quod ſcribit, ad authoritatem horum teſtium pertinuiſſe, quod eſſent unius divinitatis & naturæ, ut eorum teſtimonium eſſet ſummum, ut pote divinum; primùm ea re principium petit dum ex eo, quod ſint unius divinitatis & naturæ, vult eorum ſummum teſtimonium eſſe. Etenim hoc ipſum in quæſtione eſt, illos teſtes eſſe unius deitatis atque naturæ. Deinde etiamſi teſtes hi non ſint unius deitatis & naturæ, nihilominus, cum divini ſint, teſtimonium eorum ſummum eſt, utpote divinum.

Poſtremò ſcribit; *nihil attinere de concordia horum teſtium dicere, dequo dubitare nemo poterat; at de veritate naturæ, plurimùm attinebat, ad demonſtrandam parem, id eſt ſummam & divinam illorum authoritatem.* At verò, inquam, cum Pater, verbum, ſpiritus, diverſa ratione teſtarentur de Ieſu, plurimùm referebat, docere hos tres unum eſſe ea in re, quòd Ieſus eſſet Dei filius. Etenim is ſcopus fuit Ioannis, demonſtrare veriſſimum eſſe, Ieſum eſſe Dei filium; ut tota ipſius & antecedens, & ſubſequens oratio oſtendit; non autem, quæ horum trium eſſet natura, explicare. Et cum hîc agatur de teſtimonii fide; non certè de teſtium eſſentia atque natura.

Pergit Smiglecius, & ſcribit: *Quod ſi adducant, de tribus teſtibus terrenis idem dici, & hi tres unum ſunt; quos tamen conſtat non eſſe unius ejuſdemque naturæ, reſpondebimus primum eam lectionem eſſe dubiam, cũ & in pluribus exemplaribus non habeatur, & in his, in quibus habeatur, varia eſt. Nam in Græcis legitur, & hi tres in unum ſunt. In nonnullis verò Latinis, & hi tres unum ſint. Ex lectione autem tam dubia, non poteſt ullum firmum elici argumentum.* At totum hoc, quod opponit exceptioni noſtræ Smiglecius, demoliendo argumento ipſius, opponi rectiſſimè poteſt. Nam primum, lectio de Patre, verbo, ſpiritu, eſt controverſa, cum in compluribus exemplaribus non habeatur. Non legit hanc Cyrillus in opere de theſauro lib.14.ca.penultimo: Rurſum, inquit, Ioannes in eadem epiſtola ait: Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quia Ieſus eſt filius Dei? Hic venit per aquam & ſanguinem & ſpiritum, Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt, qui teſtimonium perhibet, ſpiritus aqua & ſanguis, & hi tres unum ſunt. Vbi vides teſtimonium Patris, verbi, ſpiritus a Cyrillo omiſſum. Non legit Auguſtinus, qui in libris aduerſus Maximinum Arianorum Epiſcopum, cum citet teſtimonium, de ſpiritu, ſanguine & aqua, & per ſpiritum Patrem, per ſanguinem filium, & Aquam Spiritum ſanctum interpretetur, lib.3.cap.22. nuſquam de Patris verbi & ſpiritus teſtimonio mentionem facit. Non habet idem exemplar Collynæi; immò vetu-

mò vetuſtiſſima quæque Græca non habuêre. Mitto Syrum interpretem; Nazianzenum orat. 5. de Theolog. Athanaſium etiam; Didymũ, Chryſoſtomum, Hilarium, Bedam. Eadem lectio variat, in exemplaribus, in quibus habetur, uti paulò ante docui. Ergo ex loco tam controverſo, nullum poteſt firmum elici argumentum, ſecundum ipſum Smiglecium. Quanquam ut firmiſſimum eliciatur, nihil tamẽ ex eo exculpi amplius poterit, quàm illos tres, qui teſtentur in cœlo &c. eſſe unum, nempe teſtimonio. Quod verò de ſpiritu, aqua & ſanguine locum, in nonnullis exemplaribus non haberi ſcribit, vix fortaſſe, ac ne vix quidem invenias exemplar, in quo non habeatur. Iam quod terrenos teſtes vocat, ſpiritum, aquam, ſanguinem; videtur parùm ad eorum teſtium conditionem animum intendiſſe. Nam & a Ioanne teſtimonium eorum, dicitur teſtimonium Dei; & cum eoſdem teſtes citet Ioannes, ad rei diviniſſimæ, nempe Ieſum eſſe Dei filium, veritatem aſſerendam; apparet, hos itidem teſtes prorſus eſſe divinos, nullo autem modo terrenos. Dicuntur autem in terra teſtari, a Ioanne; non ratione teſtimonii, quod divinum prorſus eſt; ſed loci, in quo hoc teſtimonium ab iis teſtibus perhibeatur.

Pergit & ait Smiglecius: *Neutram lectionem illis præjudicare: Nam ſi legamus, & hi tres unum ſunt, quid vetat hos tres terrenos teſtes dicere unum natura & ſubſtantia, cum in unam Chriſti naturam coëant, ſpiritus quem moriens Chriſtus emiſit, Aqua & ſanguis quæ ex latere ejus transfixo emanarunt.* Immò, inquam, plurimum præjudicat. Nam ſi legamus hi tres unum ſunt, etiam interpretatione Smiglecii admiſſa, quæ tamen, cum fine, quem Evangeliſta præfixum habet, & ipſa re videtur pugnare; hi tres, ſpiritus, ſanguis & aqua, erunt quidem unius ſuppoſiti; at non una eademque eſſentia; multò verò minùs tres perſonæ in una eſſentia; cui rei probandæ locũ hunc accommodare voluit ea reſpõſione Smigl.

Pergit Smigl. *Quod ſi aliam lectionem ſequamur, & hos tres teſtes eſſe in unum, id eſt, conſpirare in unum teſtimonium interpretari velimus, vel ex eo ipſo diverſo loquendi modo colligemus, priori loco de naturæ unitate, poſteriore de unitate teſtimonii loqui voluiſſe.* At nihil prohibet, quominùs diverſo loquendi modo, idem prorſus Ioannes exprimere voluerit, cum hîc agatur de rei teſtatæ veritate & fide, non de teſtium natura vel eſſentia, uti ante monuimus. Præterea idem loquendi modus habetur de Patre verbo & ſpiritu, *& hi tres in unum ſunt*, in exemplaribus quibuſdam, quemadmodum paulò ſuperius docuimus. Ergo hinc apparet, tam in priore Ioannem, quàm in poſteriore loco, eodem reſpexiſſe. Poſtremò alieniſſimum eſſet a ſcopo & theſi Iohãnis & ſeric ora-

rie orationis ipsius, qui de rei testatæ veritate agat, naturam & essentiam testium obtrudere, uti paulò ante submonuimus.

Tandem Appendicem concludit. *At de his hoc loco pro ratione instituti satis.* At hoc institutum rei, non animo accommodandum erat, ut antè notavimus. Cur enim hæc, ex uno duntaxat capite, primæ partis responsionis meæ contra Skargam secundæ, excepit? cur suppressis cæteris, ea quæ illi magis opportuna videbantur cavillationi exagitare voluit? nempe ut quid spectent isti, in refutandis aliis, omnibus planum faceret. Ex his itaque, an me Arianum esse docuerit, an impiè de baptismo, & nostros homines unà, sentire probaverit, quemadmodum huic Appendici titulum dedit, poteris Lector candide pie & erudite dispicere.

Superest adhuc locus unus, quem in libro cui appendicem hanc apposuerat, è meis scriptis exceptum, refutare sibi visus est, quem vindicandum ab illius exceptionibus putavi. Is verò extat pag: 18. & 19. lib: ipsius, ubi sic scribit: *Alterum argumentum est, quod præcipue urget Moscorovius minister Arianus: Pater est naturâ Deus, Filius non est naturâ Deus, sed dono & gratia Patris. Est igitur distinctus à Patre Deus.* Probare autem, Christo a Patre donatam divinitatem, me scribit; tum ex eo, quod Deus donavit illi nomen, quod est super omne nomen, hoc est nomen Dei, &c. Phil: 2. tùm ex eo, quod data illi sit potestas omnis in cælo & in terra, Matth: 28. præcipuè verò illa potestas amplissima judicandi omnes homines; ac respondet, ne unum quidem locum afferri a me potuisse, in quo dicatur donata Christo divinitas. At nusquam a me dictum est, in loco aliquo dici exprese donatam Christo divinitatem; at ex locis, quos ad eam rem probandam attuli, necessariò colligi. Quod quidem cum oppugnet Smiglecius, quanta id cum dexteritate faciat, videbimus.

Ad primum itaque locum respondet. *Quod ad locum ad Phil: attinet, dicitur quidem donatum Christo nomen supra omne nomen, (hoc est Dei nomen, quod solum est super omne nomen) at quomodo donatum est, num hoc nomen antè Christus non habuit?* At, inquam Smigleci, si agnoscis a Deo donatum Christo nomen, supra omne nomen; si agnoscis,
Phil: 2. 10. id esse Dei nomen quod Christo donatum est; & in eum finem donatum id a Deo, ut divino cultu Christus ab omnibus af..ceretur, Apostolus testetur; hinc efficitur necessariò, donatam Christo divinitatem. Modus ad quem decurris, donationem hanc nunquam docere poterit, non esse donationem.

Verùm docet Smiglecius, id nomen, quod Christo donatum est, cum antea habuisse, ex eo, quod ante erat in forma Dei, & æqualis Deo. An in for-

At in forma Dei esse, & æqualem Deo esse, in hoc apud Apostolum loco, non est nomen supra omne nomen, ab omnibus cælestibus terrenis & infernis naturis adorandum habere. Etenim Paulus, postquam Christum in forma Dei & æqualem Deo docuit, postmodum docet, Christo donatum nomen supra omne nomen; & apertissimè scribit, donationem illius nominis Christo contigisse, in obedientiæ præmium. Hinc igitur apparet, nomen illud supra omne nomen, antequam consummasset illam obedientiam, Christum non habuisse. Nam si habuit, nullo modo nomen hoc propter obedientiam donari illi potuit; si donatum est, & ea de caussa donatum, certè illud Christum non habuisse, manifestissimum est. Porrò verba: *In forma Dei esse, &, æqualem esse Deo*, contra Skargam satis copiosè docuimus, nulla ratione significare posse, quod volunt adversarii.

Pergit Smiglecius, & docet ejus donationis rationem. *Donavit*, inquit, *ergo illi nomen super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flecteretur, & ei omnis lingua confiteretur* (sic enim ipse exponit) *quod nihil aliud est, quam donatam esse Christo gloriam & adorationem nominis in toto mundo, ut hoc nomen super omne nomen, quod in se fuit semper, super omne nomen, fieret in mundo super omne nomen. Deus enim potentia sua effecit, ut gloria divina Christo tanquam vero Deo debita, reipsa in universo mundo præstaretur, idque ad compensandam illam humilitatem, quam in forma servi divinæ gloriæ & salutis humanæ caussa susceperat.* Atqui ut humiliatio in Deum nulla ratione cadit, (Nam si caderet, Altissimus esse desineret, quod fieri nulla ratione, ne ad momentum quidem potest) ita in Deum illum summum nulla ratione cadere potuit, ut illi ad compensandam, ut loquitur Smiglecius, humilitatem, nomen supra omne nomen donaretur. Expositio donationis a Smiglecio allata, quod fieri non potest, ut fieri possit non demonstrat; quæ etiam verbis & sententiæ Apostolicæ repugnat. Nam si Deus altissimus fuit Christus, quid opus erat, ut Deus efficeret, quò honor & gloria eidem a cælestibus præsertim naturis & Angelis præstaretur?

Pergit Smiglecius. *Ad quem etiam modum exaltatio Christi, de qua ibidem dicit apostolus, intelligenda est: erat enim ante hanc exaltationem Christus altissimus in se ipso, ut pote in forma Dei, æqualis Deo; at in mundo hanc exaltationem consecutus est, cum illi omne genu flecti cœpit, cælestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteri.* At si Christus fuit antea altissimus in seipso, ut vult Smiglecius, exaltari nulla ratione, quæcunque excogitari potest, propriè valuit. Altissimus enim, si propriè exaltari quacunq; ratione posset, altissimus non esset. At Paulus, exaltatũ nimis Christum, fatetur apertissimè. Apparet igitur Christum nec

ſtum nec fuiſſe, nec eſſe in ſeſe altiſſimum. Nam in forma Dei, & æqualem Deo, neutrum id arguere: cum is qui in forma Dei ſit, referatur ad Deum, cujus formam circumtulerit: & æqualis Deo, Deum cui æqualis ſit, præſupponat: nimis evidens eſt, ut alibi docuimus.

Pergit Smiglecius. *Iam quod ad poteſtatem Chriſto donatam attinet, non negamus Chriſto, quatenus homo eſt, multiplicem poteſtatem à Deo donatam eſſe, de ea enim illud intelligitur, Matth: 28. &c. Verum,* inquit, *hac poteſtate divinitas Chriſti non continetur, neque propter eam poteſtatem Chriſtus dicitur Deus, neque divino cultu coli poteſt, alioqui oporteret innumeros Deos colere, quotquot divina poteſtate ſunt præditi.*
1. Cor. 15. 27. At Chriſti poteſtas, eſt tanta poteſtas, ut Deus omnia ipſius pedibus, excepto ſe, ſubjecerit, ut divina teſtantur eloquia. Ergo poteſtas hæc abſoluta eſt & prorſus divina, in ea omnia quæ illi ſubjecta ſunt. Quēadmodum igitur is, qui regiam poteſtatem conſecutus eſt, rex prorſus eſt; ita Chriſtus, cui divina poteſtas, eaque abſoluta, in ea quæ ipſi ſubjecta ſunt, contigit; ob hanc divinam poteſtatem, ob hoc divinum imperium, Deus ſit neceſſe eſt. Nam quod metuit Smiglecius, ne tot colamus Deos, quot homines divina poteſtate præditi fuerunt; primùm ex omnibus neminem reperiet, qui abſolutam divinam poteſtatem habeat: neminem qui eam divino modo exerceat, niſi ſolum Chriſtum: nemini eandem datam, ut divino cultu afficeretur, niſi ſoli Chriſto. Ergo ſolvi hac religione & metu poterit.

Pergit Smiglecius. *Si rex tribuat generalem poteſtatem in regno ſuo gubernandi & iudicandi, ipſo illo regem eum non conſtituit. Eſt enim ea poteſtas proregis propria ſeu vicarii generalis; ita ſi Deus divinam ſuam poteſtatem communicavit Chriſto ad hominum & Angelorum gubernationem, non idcirco fecit illum Deum, cum Dei ſit gubernare propria & independenti poteſtate, hominis autem ſit Dei nomine & Dei poteſtate gubernare. Quocirca Paulus Chriſtum, qua homo eſt, non dubitavit Miniſtrum ſanctorum, ſeu ſanctuarii cæleſtis appellare, quia Dei reſpectu, & quatenus homo eſt, miniſterium habet, Dei vero ſuprema & independens poteſtas eſt.* Atqui ſecus Deus cum Chriſto egit, quàm rex cum prorege agat, vel ſuo generali vicario. Etenim proregi & generali vicario, etiamſi rex concedat, judicandi & gubernandi poteſtatem, tamen non abſolutam, ſed certis terminis definitam atque concluſam; eoque nihil mirum eſt, ſi pro ipſo rege, non agnoſcatur, nec ſalutetur; cui ſi abſolutam poteſtatem Rex concederet, tùm ille non Proregis, ſed Regis nomen & locum obtineret. Deus abſolutam Chriſto poteſtatem divinam in omnes, uno ſe excepto, conceſſit. Quapropter Chriſtus præeſt omnibus tanquā Rex & Dominus abſolutus; & poteſtate ea, quæ prorſus divi-

ſus divi-

ſus divina eſt, (qualem poteſtatem non homines, non Angeli, ſed Deus tantùm, & Chriſtus, cum quo Deus eam communicavit, habet) omnia in cœlo, & in terra, & infra terram quæ quoquomodo ad illud regnum ſpectant, divino modo cohibet, coercet & moderatur. Vnde ob eam poteſtatem divinam prorſus, ſummam & abſolutam, verè Deus agnoſci, & pro Deo coli debet. Nam quod ait, Dei eſſe indepedente poteſtate gubernare: fateor Chriſti dependentem poteſtatem dici, quatenus Deus ipſe ejus author eſt; at quatenus eam poteſtatem Chriſtus exercet eatenus indepedens eſt: cum ea Chriſtus prorſus, ut abſolutus Dominus, pro ſuo arbitrio utatur. Quod verò author epiſt ad Hæbreos, Chriſtum Miniſtrum ſanctorū, ſeu ſanctuarii cœleſtis vocet; hoc quidem documento eſt, quod ſacerdos Dei altiſſimi exiſtat. Vnde Deus altiſſimus ut ſit, fieri prorſus non poteſt. At neque hinc efficitur, quod Dei ſuprema & independens ſit poteſtas, etſi hoc veriſſimum ſit, ſi de Deo ſummo id eſt de Patre intelligatur. Nam quod aliam poteſtatem in Chriſto agnoſcat Smiglecius, qua Patri ſit æqualis, & faciat ſimiliter quæcunque Pater facit; & qua poteſtate mundus per Chriſtum factus ſit; quam poteſtatem innatam vult, ſeu per æternam generationem cū Chriſto communicatam; ejuſmodi poteſtatem in Chriſto nunquam probabit. Nam ſi Chriſtus habuit innatam poteſtatem, uti Deus naturâ habet, nulla poteſtas illi in cœlo & in terra, a Deo donari potuit. Nec enim id donari poteſt cuiquam, quod ipſe naturâ habet: Neque Deo, qui naturâ Deus eſt, a Deo poteſt quicquam prorſus donari. Quare cum Chriſto, poteſtas omnis donata ſit, apparet Chriſto non fuiſſe innatam. Nam illa æqualitas cum Patre, & par operandi ratio, poteſtatem quò ad effectum Chriſti cum Patre parem oſtendit; non verò innatam Chriſto eam poteſtatem docet. Porrò poteſtate Chriſti per Chriſtum mundum factum eſſe, locus Ioannis non teſtatur. Teſtatur quidem quod mundus per Chriſtum factus ſit; at prius Chriſtum in mundo fuiſſe, ac denique mundum eum non agnoviſſe; qui locus integer prolatus, longè aliam ſententiam habet, quàm vult Smiglecius; de quorum verborum ſententia, alibi & nos & noſtri ſatis accuratè diſſeruêre. Quapropter ex iis quæ attulit Smiglecius, non apparet ulla ratio, cur Chriſtus ob divinam illam poteſtatem abſolutam, jure Deus dici non poſſit, & propter eandem coli divino cultu non debeat.

Pergit Smiglecius: *Iam quod ad judiciariam Chriſti poteſtatem ſpectat; ea in Chriſto duplex eſt, altera divina, qua ut Deus & abſolutus omnium Dominus, altera qua judicat ut homo, ex Dei ſcilicet commiſſione & voluntate. De priore habetur* Ioannis 5. 22. *Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem.*

patrem.Si enim propter eam judicandi potestatem pari honore afficiendus
est filius, ut Pater, par etiam erit in utroque judicandi potestas: maximè
cum ibidem dictum sit; Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit.
Atqui locus Ioannis, datum fuisse omne judicium a Patre filio;& eo fi-
ne datum esse, ut honore afficiant omnes filium, quemadmodum Pa-
trem,demonstrat;hanc potestatem in Christo esse,ut in Deo,quam na-
tura habeat, non docet. Immò verò cum data sit hæc judicandi filio à
Patre potestas, apparet eam filio non inesse naturâ. Nam ei qui naturâ
Deus est,non potest a quoquam potestas ulla dari; Alioquin Deo quid
superius esse oporteret; quod est summum inconveniens. Iam quod
colligit,ex pari honore,parem in filio & Patre judicandi potestatem;id
quidem quò ad exercendæ ejus potestatis rationem attinet, admitti
potest; at non,quo ad caussam potestatis, & inde secuti cultus. Etenim
caussa prima ejus potestatis est Deus Pater; eò quod eam filio dederit;
tum etiam non ideò honore afficiendus est Pater, quòd ipsi datum sit
omne judicium; sed ideò honore afficiendus filius, quia Pater illi o-
mne judicium dedit.Locus quæcunque Pater facit &c. nihil ad judican-
di potestatem facit; cum de operatione Christi mirabilium operum a-
gat; quemadmodum status controversiæ, quam cum Iudæis Dominus
habet,ostendit. Quamobrem sine caussa a Smiglecio allatus videtur.

Pergit Smiglecius. *Quod verò additur:potestatem ei dedit iudicium*
facere, quia filius hominis est, non ita accipiendum est, ut Christus solùm,
qua homo est,iudicet:Iudicat enim pari cum Patre potestate,& habet vi-
tam in semetipso æquè ut Pater,ad quoscunque voluerit vivificandos. Sed
sensus est,ideò commißum esse à Patre iudicium, quòd non sit solùm Deus,
sed etiam homo, &c. *De hac potestate accipiendum est,quod dicitur Chri-*
*stus constitutus à Deo iudex vivorum & mortuorum. Act:*10. 42. *&* 17.
31. *Quocirca sicut ob priorem potestatem Christus Deus dicendus est: ita*
propter aliam potestatem Deus nequaquam dici potest,& illa quidem pri-
or Christo,&c. *innata; hæc verò donata,ob quam nec Deus dicitur,nec di-*
*vino cultu afficiendus est.*Christus ait,datum sibi esse judicium,quia fili-
Ioan.5.27. us hominis est. Ergò non idcirco datum ei judicium est, quod non so-
lùm Deus sit,verum etiam homo; atque proinde is sensus, quem Smi-
glecius vult verbis Christi inesse, ipsius Christi verbis repugnat. Nec
verò loci, de pari cum patre judicandi, & quos velit vivificandi, pote-
state;amplius quicquam,quàm vim & amplitudinem potestatis Domi-
ni Iesu ostendunt; at Christo eam potestatem judicandi esse innatam;
aut eum verborum Domini esse sensum, quem Smiglecius verbis Do-
mini Iesu affingit, nullo modo præseferunt. Præterea cum extremum
illud judicium,Christus homo executurus est,uti loci Act. 10.42. & 17.
ab ipso

ab ipso Smiglecio citati evidentissimè docent; cur idem tanquam ho-
mo inferiora judicia non exequeretur? Nonné apertissime Paulus, Id-
circo Christum mortuum esse & resurrexisse & revixisse testatur,ut vi- Rom. 14.9.
vis & mortuis dominetur? Quare si morte & resurrectione conse-
cutus est Christus, ut vivis & mortuis dominetur; certè Christus ho-
mo naturâ, vivis & mortuis dominatur, ac proinde eos judicat. De ea
judicandi innata illi potestate, quam exercet ut Deus naturâ; divinæ li-
teræ nusquam agunt. Immò verò si judicandi potestas fuisset innata
Christo;sine caussa fuisset illi a Deo donata. Deus autẽ nihil sine caussa
facit.Et cum per donatam potestatem Christus omnia judicia exerce-
at; illa innata in Christo judicandi potestas,fuisset prorsus otiosa.Cum
igitur omnis potestas judicandi,a Patre filio collata sit; & eo fine colla-
ta, ut honore ab omnibus afficiatur filius, quemadmodum Pater; effi-
citur necessariò,non esse illi naturalem:ac nihilominus hanc judicandi
potestatem esse prorsus divinam, propter quam Christus,& jure pro
Deo habeatur, & honore prorsus omnes divino eũ afficere teneantur.

At pergit Smiglecius:*Si instet Moscorovius,nullam in Christo pote-*
*statem eße,quæ data non sit,fateor:*Nam *& divina potestas data est Chri-*
sto,per æternam generationem,sicut eam quivis filius cum natura accipit
à Patre omnem potestatem naturæ suæ convenientem. Altera verò pote-
*stas data est Christo,sed per liberalem donationem.*Si datam divinam po-
testatem Christo a Deo Patre, fatetur Smiglecius;eandem per ęternam
generationem dari non potuisse, agnoscat necesse est. Nam data Chri-
sto potestas, præsupponit Christum divinam illam potestatem non ha-
buisse, antequam illi data esset. At ab æterno genitus, semper potesta-
tem omnem, quemadmodum ipse Pater,secundum adversarios habu-
it. Ergo ab æterno genito,divina potestas nulla ratione dari potuit, ne
per æternam generationem quidem. Exemplum generationis homi-
nis, quod affert Smiglecius, nihil ad rem præsentem facit. Nam homo
ab homine accipit generatione substantiam, non eandem, sed diver-
sam; cui substantiæ potestas,seu potius acquirendæ illius facultas natu-
râ inest. At in divinis diversam substantiam acquiri generatione, ne-
gant adversarii.Ergò hîc neque ejusmodi potestati,vel potius facultati,
locum esse animadvertant. Mitto, quod hæc æterna generatio, sit ex
eorum genere, quæ fieri non possunt. Æternum enim a parte antè gi-
gni, videtur prorsus ἀδύνατον. Nam æternum,ab omni æternitate su-
um esse habet. Ergo ut illud generatione acquireret, nunquam opus
habuit. Dei filius, secundum adversarios, æternus est, etiam a parte an-
te: Ergo filium æternum genitum,prorsus est ἀδύνατον. Secundò: In
simplicissimo ente, activam & passivam generationem dari, prorsus i-

tidem

tidem ἀδύνατον eſt. Etenim generatio ejuſmodi, compoſitionem præſupponit neceſſariò. Divina Patris eſſentia, eſt ens ſecundum adverſarios ſimpliciſſimum. Ergo in divina Patris eſſentia, dari generationem activam, dum Pater generare dicitur, & paſſivam, dum filius generari aſſeritur, prorſus ἀδύνατον eſt. Denique aut hæc generatio filii, ad finem ſuum pervenit, nempe natum filium, aut non. Si pervenit; Ergo Deus Pater, ex generante factus eſt non generans, atque ad eum modum, eſſentiâ ſuâ mutabilis, quod prorſus ἀδύνατον eſt. Si non pervenit, ergo filius nondum natus eſt; quod univerſis ſacris literis repugnat, quæ filium natum teſtantur. Alia permulta, quæ a noſtris adverſariorum ſententiæ oppoſita ſunt, in præſens non affero; ex his quæ attuli, Smiglecius, opinor, quàm verè æternam iſtam generationem, & genitum ex eſſentia Patris filium, contra nos urgeat, perſpicere poterit. Quod ſi excipiat, aliter hæc in divinis & metaphyſica generatione cõſiderari oportere, proferat revelationem divinam, teſtimonia nempe è ſacris literis excepta, quibus tutò acquieſcere pia mens & conſcientia debet, & rem præſentem ex iis neceſſariò approbet. Sin id facere non poſſit, ſciat naturæ & rationis lumen, opinionibus humanis, ex otioſis ſpeculationibus quorundum natis, & certo annorum decurſu firmatis, ſupprimi nulla ratione poſſe; in iis hominibus maximè, quibus per Dei gratiam è ſacris literis, immò ex ipſis adverſariorum libris innotuit, quæ primæ vetuſtatis, & eam proximè ſubſequentis, iis de rebus ſententia fuerit. Poſtremò cum fateatur Smiglecius, datam filio a Patre poteſtatem, quocunque modo data eſt, hinc efficitur neceſſariò, Patrem a filio naturâ eſſe diverſum, cum is qui det, & qui accipiat, nunquam poſſit eſſe, unus idemque natura. De diverſitate hujus poteſtatis ſupra docuimus. Ex his itaque quæ attulimus ſingulis, ſatis apparet, Chriſtum divina liberalitate conſecutum, ut Deus eſſet. Nam & nomen ſupra omne nomen, quod in obedientiæ præmium illi datum eſt, quod ipſe adverſarius fatetur, eſſe nomen Dei, eum Deum oſtendit; & poteſtas in cælo & in terra ſuper omnia, excepto Deo, illius divinum imperium & authoritatem arguit, ac proinde Deum eum demonſtrat; & ampliſſima illa, eaque prorſus divina judicandi poteſtas in eum finem illi data, ut ab omnibus divino modo colatur, ſatis apertè eum Deum exhibet: quantò verò magis hæc omnia in unam ſummam collata? Diſcuſſis itaque, quibus minorem argumentationis meæ labefactatam voluit adverſarius, evictoque, Chriſtum divina donatione Deum eſſe, argumentum meum invictum permanet, quo docui, Chriſtum eſſe Deum, a Deo Patre naturâ diſtinctum.

At quod me etiam Arianum miniſtrum vocet, non videbatur ſilentio

lentio prætereundum. Cum enim ſine dubio per contumeliam id ab eo fiat, ſciat Smiglecius, ſi mihi illud munus contigiſſet, me pro ſummo honore & ornamento illud habiturum fuiſſe; & cum majores meos ſummis & longè ampliſſimis honoribus in hac Repub: ornatos & decoratos, Annales noſtri teſtentur; neq; ex eadẽ ſtirpe & familia, noſtrâ memoriâ, defuerint maximis perfuncti publicis muneribꝰ, hoc tamẽ munus omnibus illis honoribus multis partibus præpoſiturũ fuiſſe. Quid enim divinius, quàm voluntatis Dei & Chriſti eſſe præconem? qui honor amplior, quàm hominibus ad ſummam felicitatem & doctrina & pietate præire? Sed non tantum mihi eruditionis divinæ eſſe, ingenuè profiteor; adde etiam, non ita firmam valetudinem, quæ tanto muneri exantlando par eſſet. Idcircò tenuitatis meæ conſcius, in auditorum cætus noſtri numero perſtiti, paratus nihilominus Domini Ieſu auxilio, pro aſſerenda divina hac veritate, & vindicando Chriſti Domini mei honore, omnia quæcunque vires exiguæ ferant, & facere & perpeti. Quare idem quoq; ſtudium nunc mihi cauſſa fuit, ut iis, quæ nonnulla Smiglecius è meis contra Skargam decerpſit, ac confutare voluit, hæc opponerem. Tuum erit judicium, Lector candide & erudite, poſtquam noſtras reſponſiones legeris & expenderis, jurené an injuria Smiglecius tantos ſibi ſpiritus ſumat, & nos noſtraque tanto cum ſupercilio & faſtu contemnat, ut in poſterum ſe noſtras, uti is vocat, aphanias propoſiturum omnibus ad ſpectandũ & execrandum, Thraſonis inſtar, minitetur. Si divinarum literarum auctoritate, ſi rationibus evidenter deductis, nos aliquid docuerit, cedemus ultrò meliora docenti: ſin ſophiſmatis veritatem divinã oppreſſam voluerit, quemadmodum & antehac libro adverſus nos edito, & nunc iterum fecit; ſciat nobis animum viresque, Dei auxilio, ad veritatem divinam aſſerendam, & ab omnibus ſophiſmatis vindicandam, non defuturum.

Dominus IESUS, cujus de veritate ac honore & gloria, & Patris ipſius, ac hominum ſalute agitur; veritatem ſuam omnium oculis inferat, & divina ſua virtute præſtet, ut palmam apud omnes obtineat; quò tandem, quicquid illius divinæ veritati repugnat, ultrò concidat atque corruat, ſummâ cum illius & Dei Patris gloria, & hominum omnium ſalutem, Domini expetentium, voluptate, Amen.

SCRIPTA hac responsione, inaudieram Smiglecium & alium librum contra nos edidisse, & multò plura in eodem è nostris confutare conatum fuisse. Vt librum primo quoque tempore viderem, cupidè expetivi; eo fine, ut si quid solidi contra me attulisset, admitterem; sin verò, quemadmodum in ista Appendice fecit, nostra exagitare potiùs quàm refellere connisus fuisset; artes illius detegerem. Ecce autem, dum id mihi in quodam itinere propono: domum reversus, è quodam amico meo singulari intellexi, illum & responsionem ad illum librum aggressum, & benè in ea progressum esse. Res ea ita me affecit, ut in iis, quæ ad Dei gloriam pertinent, fieri assolet, in quibus cujusqúe votum est, ut alios prævenire malit, quàm præveniri. Sed cùm majore cum dexteritate, eundem amicum meum, responsionem illam adornaturum, quàm meipsum, mihi persuaderem; eum laborem ab illo susceptum, gloriæ Dei, cui nos nostraqúe debemus omnia, nomine, mihi fuit perjucundum. Quæ tibi significanda, candide & erudite lector, putavi, ut responsionem brevi te habiturum ad alterum etiam Smiglecii librum intelligeres; & quæ caussa intervenerit, quo minus ipse responderem, cognitum haberes. Dominus JESUS adsit tibi. Amen.

Errata sic corrige.

Pagina 4. *Versu* 28. *pro* sentenita, *lege* sententia. *pag:* 8. *V:* 4. *pro* Skara, *lege* Skarga. *pag:* 11. *V:* 12. *pro* approbit, *lege* approbat. *pag:* 12. *V:* 15. *pro* idololatria, *lege* idololatras. *pag:* 32. *V:* 15. quippe quam illuminaturus sit, *adde*, Deus. *pag.* 37. *V:* 28. *pro* ablutiouem, *lege* ablutionem. *pag:* 42. *V:* *ult:* *pro* vocat, *repone* scribit, & 43. *V:* 1. *pro* scribit, *repone* vocat. *pag:* 63. *V:* 3. *pro* illud, *lege* illius.